



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Disputatio LXXIX. De effectu & valore huius sacrificij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

tur, vt pro nobis orent, vel Deo, vt Sanctos pro nobis orantes exaudiat: tamen, vt inde Sanctorum honor augeatur, talis oratio & commemoratio Sanctorum cum sacrificio coniungitur, vt Chryl loco supra citato notauit, quod etiam confert, vt huiusmodi orationes maiorem habeant impetrandi efficaciam.

Solum superest dubitandum, an possit hoc sacrificium pro Sanctis offerri, etiam vt impetratorium est. Et ratio difficultatis est, quia, licet Sancti non possint in gratia, & essentiali beatitudine augeri, possunt tamen denuo recipere aliquam beatitudinem accidentalem, vt nouam reuelationem vel gaudium, aut extrinsecam claritatem, gloriam seu honorem: ergo possumus a Deo petere, vt hac bona Sancto alicui conferat vel augeat: ergo possumus pro eis hoc sacrificium, vt impetratorium est, offerre, vt inuisum hac bona eis a Deo impetremus. Quod videtur confirmare vsus Ecclesiae, sic n. in oblatione, qua in Missa facimus, oramus: vt Sanctis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & in Collecta post communionem interdicimus, vt, sicut Sanctis ad gloriam: ita nobis proficit ad veniam: & in quadam oratione secretae Missae B. Leonis P. petimus: vt illum beata retributio comitetur. Ac deniq; Chryl. ho. 33. in Matth. dicit, posse nos aliquid facere pro Sanctis, ad mercedis & retributionis adiectionem. In cotarium autem est, quia non videtur ad reuerentiam Sanctorum pertinere, pro eis orare, sed potius eos orare, vt pro nobis oret, vel Deum, vt orationibus illorum nostras deprecationes suscipiat, vt Cyril. Hier. dixit, dicta catech. Vnde Inn. III. in dicto c. Cum Mart. §. vt. ait, Sanctos non indigere orationibus nostris: quia, cum sint perfecte beati omnia illis ad vota succedit: & ideo mutatum esse modum orandi in quadam oratione B. Leonis: prius n. dicebatur: Annue nobis Dne, vt animae famuli tui Leonis hęc profit oblatio: postea vero dictum esse, Vt intercessione B. Leonis nobis hac profit oblatio. Hoc autem confirmat, Quia cum sacre Scripturae dicat authoritas, quod iniuriam facit Martyri, qui orat. p. Martyre, idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentendum: quod tñ dictum nō reperitur in S. Script. sed sumitur ex Aug. ser. 17. de verb. Apost. & tract. 84. in Ioanem, ubi inter alia ait. Nō sic Sanctos comemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt orent ipsi pro nobis.

Gryl. stem.

Cyrl. Hier. Innocen. III.

Sacrificiū hoc si impetrari potest beatis hōi- bus aliquis ex vniuersis actibus re- sulans.

Qualiter & accidentalis gloria.

honor aliquis, aut accidentalis gloria in Sanctos redundat: & hac est resolutio Innocentij in d. ca. Cum Martha. Iuxta quam intelligendum etiam est, quod D. Th. ait in 4. d. 12. q. 2. ar. 1. quæst. unc. 2. ad 2. hoc sacrificium offerri posse pro pueris baptizatis, qui ante vsu rationis decedunt: cum n. certum sit, illos iam esse beatos, non potest magis pro illis, quam pro aliis Sanctis offerri. Vnde, quamuis D. Th. dicat, illam oblationem fieri ad consolationem viuorum, & ad significandum, eos, infantes esse de congregatione iustorum, ac vera membra Ecclesiae: nihilominus necesse est, talem oblationem, quoad intentionem impetrandi, vel applicandi fructu sacrificij, debito modo fieri: & ideo, licet offeratur Deo, aut in gratiarum actione pro tanto beneficio huiusmodi infantibus collato, aut simul, vt inde aliquis honor, vel gaudium in huiusmodi innocentes redundet, tamē, quoad alios fructus non potest pro eis offerri, sed vel aliis applicandum est sacrificium, vel thesauro Ecclesiae adiungatur fructus eius.

Pro anima. Purgatorij vtiliter offeritur hoc sacrificium.

Tertio loco dicendum est de animab. purgatorij, pro quib. certum est de fide, sacrificium posse offerri, etiam vt impetratorium est: quia illæ animæ adhuc sunt in pœnis, quę per oblationem huius sacrificij remitti possunt. Ita definit Conc. Trid. sess. 22. c. 2. & cā. 3. & confirmat satis vsus & traditio Ecclesiae, & tradunt Doctores omnes in 3. dist. 45. Qualis vero eis sit hæc propitiatio, & an sit omnino infallibilis, & proprie ex opere operato, attingemus disp. sequenti: nam ex professo disputatio hæc, quæ vnam de suffragiis, & aliam de purgatorio supponit, pertinet ad materiam de satisfactione & de clauibus, de quibus in sequente tomo dicendum est.

DISPUTATIO LXXIX.

De effectu & valore huius sacrificij.

Disp. 7 de sacrificio.



Xplicata essentia, & causis Eucharistici sacrificij, superest, vt dicamus de effectu eius, & quia effectus ex virtute seu valore procedit, simul de valore dicemus. In qua re multa consideranda occurrunt, scilicet, an hoc sacrificium aliquid operetur, quid illud sit, quomodo fiat, in qua perfectione & quantitate, in quib. subiectis, seu personis, & a quibus seu per quam oblationem, quæ fere omnia permittit tractabimus: quia ita sunt coniuncta, vt vix possint disputatione separari.

SECTIO I.

Verum sacrificium Missa habeat aliquem effectum ex opere operato.

Opinio.

Prima sententia esse potest, simpliciter ac proprie loquendo hoc sacrificium nullum habere effectum ex opere operato. Ita refert Petrus Soto, & tribuit hanc sententia Caiet. & Scoto, & idem indicant Dominicus Soto, & Corduba. Sed reuera falso imponitur hæc sententia Scoto & Caiet. quæ omnia postea videbimus. Potest autem hæc opinio fundari, quia omnis effectus ex opere operato pendet ex Christi promissione: non enim cōuenit operi vel signo externo ex natura sua: nulla autem promissio alicuius effectus gratiæ, legitur facta huic sacrificio, quatenus sacrificium est, diuersa ab ea, quæ facta est huic mysterio, quatenus sacramentum est, mädicationi enim & potui carnis & sanguinis Christi legitur vitæ promissionem factam: oblationi autē seu sacrificiationi nihil legitur promissum. Et confirmatur, nā fortasse propter hanc causam Conc. Trid. cū singulis sacramentis tribuerit proprios effectus ex opere operato, agens de hoc sacrificio, nullum ei effectum ex opere operato tribuit: ergo neque a nobis sine maiori funda-

Kkkk 3 men-

Franc. Suarez Tom. 3.

mento tribuendus est. Confirmatur secundo, quia effectus ex opere operato non pendet ex voluntate ministrum: omnis autem effectus huius oblationis pendet ex dignitate offerentis, magis quam ex dignitate rei oblatae, ut D. Th. sup. dixit q. 79. art. 5. quia non potest esse accepta oblatio, nisi offerens dignus sit.

D. Thom.

2. Opinio.

Secunda sententia extreme contraria est, hoc sacrificium esse veluti uniuersalem causam, quae conferat seu cocurrat ex opere operato ad omnes fructus & effectus gratiae, quos Christus per passionem suam nobis meruit, & quacumque via aut ratione nobis applicatur. Ita significat D. Th. 1o. 2. lect. 6. dicens, cum hoc sit sacramentum Dominicae passionis, continet in se Christi passum, unde, quicquid est effectus Dominicae passionis, est etiam effectus huius sacramenti: ubi late loquitur de sacramento, ut totum mysterium sub quacumque ratione signi sacri comprehendit: quod infra declarat, dicens: Alia sacramenta habent singulares effectus, sed in immolatione huius sacramenti, effectus est uniuersalis pro tota Ecclesia pro uiuis & defunctis, quia continetur in ipso causa uniuersalis omnium sacramentorum, qui est Christus. & eandem sententiam indicat Ruar. a. 16. §. Manifesta est, dicens: Ad oia valet sacrificium altaris, ad quae valet uictima crucis. Fundamentum esse potest, quia hoc sacrificium eguale est sacrificio crucis, ut patet ex principali offerente, & ex re oblata: ergo tam est uniuersale & efficax in causando, quod fuit illud in merendo & satis faciendo. Ex qua ratione intulit vltimam (ut refertur) Catherin. in opus. de sacrificio Missae, & super ad Hebr. 10. hoc sacrificium virtute operandi non nisi in sacrificio crucis, neque ab illo pendere: quia tantum inuenitur effectus illud. Unde, sicut illud ab hoc non pendet, neque in illo nitiatur: ita neque hoc in illo, quia haec enim sunt, sicut in perfectione, ita & in valore, & in virtute: sunt ergo tanquam duae causae uniuersales. & quae prima in suo genere, quamuis ex voluntate Christi diuersum usum habuerint: nam sacrificium crucis ordinatum tantum fuit, quo ad sufficientiam, hoc vero quo ad sacrificium. Quod si obicitur: sequi, sacrificium Missae ex opere operato dare effectum baptismi, poenitentiae, & similes: responderi, immediate & per se, negando sequelam: mediate autem & per alia sacramenta, concedendo illam: est enim eius virtus veluti uniuersalis causa, quae per se ipsam non immediate operatur, sed cum causis proximis: quae in praesenti sunt caetera sacramenta, ad hoc peculiariter instituta, ut uniuersalis virtus huius sacrificii ad speciales effectus applicetur.

Sacrificium hoc efficitur h. b. ex opere operato ut causa. D. Thom.

Caietanus ad calumnias vindicatur.

Scotus. Albert. Dom. Solo. Pet. Solo. Cano. Castro. Cour. Cordub.

Dico primo sacrificium hoc habere effectum aliquem ex opere operato, ut proximam causam illius. Haec conclusio non solum est contra primam sententiam, sed et contra secundam: quae, nescio quam uniuersalem causalitatem huius sacrificii excogitauit. Omitte autem propriam & particularem. Est autem sententia haec D. Th. sup. q. 79. art. 5. & 2. art. 1. & in 4. d. 12. q. 2. art. 1. quae illius. 2. & apertissime d. 4. 5. q. 2. art. 1. quae illius. 3. & art. 3. quae illius. 1. ad 3. Caiet. to. 2. opus. tract. 3. q. 2. dicit tamen, hunc effectum pendere ex dispositione eius, pro quo sacrificium offertur, ex quo fortasse sumpta est occasio citandi Caietan. pro contraria sententia: sine causa tamen, quia id non est contra rationem operis operati, ut in omnibus sacramentis constat: satis enim est, quod opus visua conferat talem effectum non ponenti obicem, & idem est sensus Scoti, quod d. 20. & eandem sententiam tenet Albert. in 4. d. 13. ar. 31. Sor. q. 2. art. 1. & lib. 9. de iust. & iur. qu. 2. art. 2. Perrus Sor. lect. 7. de Euchar. Cano. 12. de locis, ca. 12. ad 9. Castro, verb. Missa, heref. 2. Cordub. lib. 1. q. 3. Cou. in c. Alma mater. 1. p. 8. nu. 6. & reliqui omnes recentiores, nec Catholicum contradicentem inuenio; ideoque certam existimo veritatem hanc. Ne tamen fortasse sit in verbis & quiuocatio, aduertendum est, hic non esse sermone de causalitate physica, nec quidquam referre ad questionem praesentem, quia ille modus causandi, vel necessarius non est in praesenti, vel fortasse non ha-

bet locum, si verum est, hoc sacrificium non dare ex opere operato gratiam gratum facientem, sed solum remissionem poenae, quae non est effectus physicus ac positius, sed moralis: quia non consistit in influxu alienius qualitatis, vel entitatis physice, sed tantum est moralis condonatio cuiusdam debiti, quae solum moraliter causari potest: tamen in suo ordine dicitur conferri ex opere operato, si ex vi sacrificii, ultra omne meritum & satisfactionem operantis, infallibiliter conferatur non ponenti obicem. Propter quod nonnulli hunc effectum vocant per modum infallibilis impetrationis; alij per modum solutionis thesauri meritorum & satisfactionum Christi, non tamen refert, hoc vel illo modo loqui, quando de re constat.

Sicigitur explicata conclusio, probatur ex communi Ecclesiae consensu, omnes enim peruersum habent, sacrificium hoc ex vi suae institutionis habere singularem vim & efficaciam ad applicandum aliquem fructum redemptionis Christi, iuxta ad, quod Conc. Trid. sess. 22. c. 1. dixit, Christum instituisse hoc sacrificium: ut illius (id est sacrificii) crucis) salutis virtus per remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur: quod in c. 2. latius docet. hic autem applicatio, cum fiat ex institutione, oportet, ut includat causalitatem ex opere operato: nam, si solum esset ex merito, vel satisfactione operantis, nihil haberet singulare hoc sacrificium ex vi institutionis: imo neque hoc suoperaret sacrificia veteris legis, vel naturae: nam etiam illa habere poterat similem effectum ex opere operantis, vel per modum impetrationis. Quod si dicatur, haec impetrationem esse maiorem in hoc sacrificio propter dignitatem eius, hoc non satis est, nam inde fit, hoc sacrificium nullam habere virtutem applicandi redemptionem Christi ex peculiari institutione ad hunc finem, sed solum quatenus ex natura rei sequitur ex ipsa institutione sacrificii secundum substantiam eius: hoc autem non videtur consentaneum doctrinae Conc. Trid. Secundo argumentum, quia Ecclesia semper intellexit, fructum huius sacrificii non pendere ex gratia seu liberalitate ministrum offerentis: ergo signum est, dari ex opere operato, quia si esset ex opere operantis, magis penderet ex iustitia offerentis, quam eius, pro quo offertur, sicut videre licet in quolibet alio opere satisfactorio. Ratio enim est eadem, scilicet, quia si pro quo applicatur opus, non est moralis circumstantia operis, sed solum subiectum; in quo opus habiturum est effectum, quod est quid extrinsecum & posterius ad valorem operis: offerens autem est moralis circumstantia sacrificii, a quo maxime pedit moralis estimatio & virtus eius, ut esse potest ex opere operantis. Quod si dicatur, hoc sacrificium esse fructuosum independentem ex proximo offerente, quia Christus semper est principalis offerens: contra hoc est, quia hic fructus non est ex eo, quod Christus sic offerendo, quasi de nouo satisfaciatur: quia non est in statu satisfaciendi, ut infra dicam: ergo, ut sit certus, & de se infallibilis, oportet, quod sit per modum applicationis ex vi talis sacrificii, ut Christo oblato: & hoc ipsum esse ex opere operato. Tertiò, sacramenta legis nouae omnia habent effectum ex opere operato: ergo, & sacrificium debet habere aliquem similem effectum sibi proportionatum, patet consequentia, quia utrumque spectat ad dignitatem & excellentiam nouae legis: neque minus dignum aut perfectum est hoc sacrificium in ratione sacrificii, quam sint in suo genere sacramenta. Quapropter, quod de sacramentis nouae legis dicunt Concilia, efficitur, quod significant, quia non sunt signa egesta & vacua, sed plena virtute sanguinis Christi, in quoniam effuso nituntur: totum (inquam) hoc conuenit huic sacrificio: est enim eadem ratio: imo, quia cum vno sacramentorum idem realiter est: quoad hoc sub nomine sacramenti comprehenditur potest. Quarto, quia

quia alias sequitur, non magis posse hoc sacrificium offerri pro alio, quam ipsam Eucharistiam sumptionem; quod est plane falsum, & contra omnium mentem. Sequela probatur, quia etiam sumptio offerri potest pro alio, quoad satisfactionem ex opere operantis, & similiter quoad impetrationem: est enim opus satisfactorium, & meritorium, seu impetratorium, sicut alia opera religionis, si autem ab oblatione sacrificij, ut sic, tollamus vim ex opere operato, nihil aliud in ea manet, quod pro alio offerri possit, præter satisfactionem, & impetrationem ex opere operantis: nulla ergo erit diversitas. Utinam sequi ex contraria sententia videtur oblationem sacrificij, quia in hoc mysterio Christus offertur, non esse de se magis fructuosam, magisque applicatam redemptionis, quam sit oblatio interna eiusdem Christi & passionis eius, quam vnusquisque fidelis sua privata deuotione facere potest: consequens autem est etiam absurdum, & contra totius Ecclesie sensum & traditionem: nam sacrificium hoc, re ipsa oblationem censetur habere specialem efficaciam, vltra solum desiderium, seu interiorem actum.

Occurrit in quibus. Has autem rationes eludere posset aliquis seu enervare, dicendo, sacrificium hoc habere specialem vim impetrandi, que diuersa est a causalitate ex opere operato, vt infra videbimus. Sed hoc non tollit vim rationum factarum, quia si impetratio est infallibilis, respectu subiecti non ponens obiectionem, & est specialis ex vi ipsius externi operis, hæc est, quam nos vocamus causalitatem ex opere operato: quia necesse est fundari in promissione facta tali operi, & reuera improprie vocatur impetratio, sed potius est realis executio, & applicatio eius rei, quam Deus, quantum est ex parte sua, iam conulit. Si autem impetratio non est infallibilis, non satis est ad dignitatem huius sacrificij, neque ad effectus eius explicandos, neque ad reddendam rationem omnibus, quæ de illo asseruntur: vt v. g. quod nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: satis enim censetur maculari moraliter, si redderetur inefficax ex offerentis malitia. Item, quod non possit offerri pro iusto catechumeno defuncto, nam hoc non est verum, quoad impetrationem: oportet ergo, vt sit verum, quoad effectum ex opere operato, & hoc magis ex dicendis constabit.

Sacrificium in huiusmodi non uniuersale, sed locale, cum omnibus gratiis in se continens, cuius fundamentum est in cano. Lindan. Et sic. Cordub. Carol. Pighius. Pet. Soto. Dum. Soto. Dico secundo: Hoc sacrificium nulla ratione dici potest causa vniuersalis ex opere operato, conferens vel concurrans ad omnes effectus gratie, qui ex redemptione Christi nobis proueniunt. De hac conclusione nihil fere antiqui auctores locuti sunt, quia, vt existimo, nunquam huiusmodi causalitatis modus in eorum mentem venit: ex recentioribus attigit illam Cano, dicta solutione ad 9. circa finem, & Lindanus, lib. 4. Panoplix, capitulo 51. & 53. vbi dicit, neminem esse tam insanum, qui quoad efficaciam faciat comparationem, nedum æqualitatem, inter sacrificium crucis & Missæ, sumi etiam potest ex Hostia in confessione capitul. 41. Corduba; dicta quæst. 3. Camis. quæstio. 7. de Eucharistia, Pigh. controuers. 5. Petrus Soto, lect. 7. de Eucharistia, Cano, lib. 12. de locis, capitul. 13. ad 1. Soto 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & non nihil inuariat Gabr. lectio. 26. & 27. in canon. Et probatur, quia, aut hæc vniuersalis causalitas fundatur, quali ex natura rei in excellentia vel satisfactione actuali talis sacrificij: vel in speciali promissione & institutione Christi: dum præter hos nullus alius modus excogitari potest: neuter autem illorum est probabilis. De primo patet, tum, quia potuisset hoc sacrificium institui, & nullam omnino habere causalitatem ex opere operato, nam cui repugnat? Tum etiam, quia, si rei dignitas consideretur, etiam Eucharistia sacramentum est infinitæ dignitatis, & tamen non propterea est principium omnium gratiarum ex opere operato: imo, seclusa promissione, nec proprium aliquem effectum habet.

ret ex opere operato: si autem consideretur actualis satisfactio, hæc nulla est in hoc sacrificio ex parte Christi, vt statim ostendam, & quamuis daremus esse aliquam, potius esset per modum sufficientiæ, quam efficaciæ applicationis, sicut fuit in sacrificio crucis. De secundo vero, sc. de institutione aut voluntate Christi, probatur, nam, vbi est talis institutio? Neque enim in scriptura sacra habetur: neque in Ecclesie traditione est aliquod eius vestigium.

Et ratione declaratur, nam fructus passionis Christi dupliciter considerari potest; primo secundum perfectionem in ensuam singularum effectuum, vt verbi gratia, quod fuit sufficiens ad merendam nobis gratiam, magis ac magis intensam, &c. vel secundum extensiuam, id est, quoad multitudinem effectuum. Neutro autem modo potest efficacia ex opere operato, conueniens huic sacrificio, esse ad æquandam sufficientiam meriti, & satisfactionis sacrificij crucis, ergo nullo modo potest esse hoc sacrificium causa vniuersalis omnium gratiarum proueniens ex redemptione Christi: suppono enim id, quod de fide certum est, sacrificium crucis fuisse causam redemptionis quoad sufficientiam: per se autem solum non habere efficaciam: hoc autem sacrificium & conuentionem non esse propter sufficientiam, nam hæc perfecte & copiose completa est in cruce, vt supra cum Paulo in epist. ad Hebr. late exposuimus: sed esse propter aliquam efficaciam, seu applicationem illius sufficientiæ, vt Concilium Trident. dixit. Vnde, si in hac efficacia non habet hoc sacrificium vniuersalem causalitatem, in nulla re potest illam habere. Probatur ergo minor, quoad priorem partem de perfectione intensiuâ: nam Christus per passionem, non solum nobis meruit sufficienter decem aut viginti gradus gratiæ, sed in quocunq; gradu, ita vt, sicut ratione sui meriti nunc voluit tantam gratiam in baptismo dari, ita velle potuisset, vt maior vel minor daretur, & quicquid designauit, totum sufficienter cadit sub suo merito: & idem est de remissione peccati maioris, & minoris in quocunq; gradu: hoc autem modo non potest efficacia sacrificij Eucharistie ad æquandam sufficientiam sacrificij crucis. Cuius ratio euidentis est, quia sufficientia de se est infinita, & exhauriri non potest, neque oportet, vt sit ad certum gradum determinata; quia vt sic, non applicatur ad operandum, at vero efficacia oportet, vt sit determinata ad certum gradum: quia includit applicationem, & institutionem ad operandum, & consequenter ad certum, & determinatum effectum. Et confirmatur, nam hæc ratione diximus in superioribus sacramenta habere determinatam perfectionem effectus ex opere operato: quia supposita institutione operantur per modum nature, quantum possunt in subiecto vel sic disposito. sed quoad hoc eadem est ratio de sacrificio Eucharistie: quia oblatum etiam pro tali, vel tali persona operatur in illa determinatum effectum, & quantum potest in subiecto ita disposito, supposita institutione. Vnde, si subiectum intelligatur infima dispositione preparatum, vel potius non positue dispositum, sed negatiue, non ponens obiectionem; habebit in illo minimum quandam effectum finitum ac determinatum, quoad efficaciam, quod de sufficientia sacrificij crucis dici non potest, nam illud de se sufficiens est, vt ratione illius maior effectus fieret in tali subiecto, si Christus voluisset: ergo quoad hanc partem non est ad æquandam inter efficaciam & sufficientiam vnus & alterius sacrificij.

Ratio pro conclusione.

Altera vero pars de perfectione extensiuâ, seu multitudine effectuum, multis modis ostendi potest. Primo quoad personas: nam sacrificium crucis fuit sufficiens prodesse omnibus hominibus tam, qui Christum præcesserunt, quam qui secuti sunt, nec solum baptizatis, sed etiam iis, qui nondum baptizati sunt, nec tantum iustis, sed etiam his, qui in peccato mortali existunt, eos illuminando & vocando, &c. At vero



sacrificiam Eucharistiae nullam efficaciam habere potest in homines, qui Christum praecesserunt: neque in his omnibus, qui subsecuti sunt, potest habere propriam efficaciam ex opere operato, sed solum in baptizatis, & iustis. Secundo idem ostenditur, quoad varietatem effectuum, nam sufficientia sacrificij eruenti se extendit, verbi gratia, ad remissionem peccati originalis, ad quam nullo modo extenditur efficaciam sacrificij, Eucharistiae ex opere operato: imo idem est de remissione cuiuscumque peccati mortalis, quoad culpam, & de infusione gratiae sanctificantis, ut infra dicemus. Idemque argumentum fieri potest de caractere Baptismi, Ordinis, vel Confirmationis, de dono perseverantiae, & de aliis similibus auxiliis, aut donis gratiae.

*Eundem modum refutatur.*

Nec quicquam iuvat, quod supra dicebatur, sacrificium hoc habere omnes hos effectus, non per se immediate, sed ut causam uniuersalem, operantem per aliam particularem, ut per sacramenta, hoc enim, & falsum est, ac sine fundamento dictum, & insufficiente ad difficultatem expediendam: nam in primis, etiam omnia sacramenta simul sumpta cum hoc sacrificio non habent efficaciam ad aequatam sufficientiam passionis Christi: nam tota haec efficaciam est definita, etiam in varietate effectuum, illa vero sufficientia est multo magis uniuersalior. Vnde etiam de facto plures effectus gratiae propter sufficientiam illius sacrificij conferuntur, quam possint per sacramenta conferri, ut facile patet de illuminationibus, & de excitantibus gratis, quae dantur ante baptismum, vel ante penitentiae sacramentum, vel de omnibus operibus meritorijs ex opere operantis, & auxilijs, vel gratis, quae ad illa, vel propter illa dantur. Quod si quis adhuc contendat efficaciam huius sacrificij tam esse uniuersalem, ut non solum per sacramenta, sed etiam per nostras dispositiones, & per omnia media, quibus Deus ad nostram sanctificationem utitur, operetur, quid diceretur de prima illuminatione, interna vocatione, seu excitante gratia, quam Deus in nobis sine nobis, id est, sine vlla dispositione nostra operatur? nam illa esse non potest effectus huius sacrificij, ut à causa immediate operante, ut per se notum est, & contraria opinio fatetur: neque ut à causa mediata, quia nulla ibi est alia, nisi Deus ipse influens talem gratiam. Dices tamen: hoc facere Deum ratione huius sacrificij. Sed hoc in primis, & dicitur inconflanter, quia reuera est dicere, sacrificium esse immediatam causam moralem talis effectus: deinde sacrificium hoc non est ratio talis effectus, ut in re oblatum, quia supponimus, non esse oblatum, neque applicatum ab aliquo offerente: neque etiam ut in voto existens, nam in eo, qui primam illuminationem & fidem suscipit, nullum votum huius sacrificij praecessit: non ergo datur, illa gratia intuitu huius sacrificij incruenti, sed eruenti solius. Tandem, quia ridiculum dictum est, sacramenta omnia habere efficaciam ab hoc sacrificio incruenti, ut sic, aut in illo nati, ut operentur: quia sacramenta solum nituntur in merito, & satisfactione Christi, ergo solum nituntur in illo sacrificio, in quo Christus suum meritum, & satisfactionem consummavit: hoc autem fuit solum sacrificium crucis, ut supra ex Paulo ostendimus: ergo in illo solo nituntur, & non proprie ac formaliter in sacrificio Eucharistiae, prout ab illo distinguitur. Nam seclusis ab hoc sacrificio, nouo merito & satisfactione, nulla ratio excogitari potest, ob quam sacramenta dicantur suos effectus conferre in virtute huius sacrificij: quia in nullo genere cause habent virtutem ab illo, neque in conferendis suis effectibus includunt habitudinem ad aliud, qualis enim est haec habitudo aut quod habet fundamentum? Quod enim aliquis fingere potest, includere omnia sacramenta votum huius sacrificij, multo magis improbabile est, quam, quod supra reieciimus de simili voto Eucharistiae, quatenus sacramentum est, in usu aliorum sacramento-

*In hanc reuertitur.*

rum incluso: nullus enim haecenus dixit, hoc sacrificium esse medium necessarium ad remissionem originalis peccati, vel ad alios effectus sacramentorum omnium, id enim, nec fundamentum habet in Scriptura, Patribus, aut traditione: neque est consentaneum absolutae virtuti & efficaciae aliorum sacramentorum. Nec denique probabili ratione sustineri potest, quia, secluso praeccepto audiendi Missam, nullo modo est hoc sacrificium necessarium ad salutem singulorum. Vnde nec votum eius necessarium est: imo cum proposito nunquam illud offerendi, posset aliquis saluari: praecceptum autem audiendi Missam, quod Ecclesiasticum est, vel etiam fingatur esse diuinum, non conluit medium necessarium ad salutem: nisi ea ratione, qua observatio mandatorum ad salutem necessaria est.

Ex quibus infero hoc ipsum sacrificium Eucharistiae non habere effectum vllum ex opere operato, nisi quatenus nititur in sacrificio crucis, & ab illo habet virtutem & efficaciam. Quod sentio de hęcetum, quia passio Christi est uniuersalis causa omnium effectuum gratiae, siue per sacramenta, siue per quocumque aliud instrumentum conferantur: ideo enim dicitur Christus: vna oblatio crucis consummasset sanctificatos, quia ab illa est omnis gratia, omnisque sanctificatio nostra, & propter eandem causam ad Rom. 3. ait Paulus, Deum proposuisse Christum propitiata: orem in sanguine ipsius. Ad denique Conclum Trident. sess. 22. c. 1. & 2. ideo dicit, efficaciam huius sacrificij affirmari sine iniuria sacrificij crucis, quia institutum est, ut per illud salutaris sacrificij crucis virtus applicaretur, ergo huius efficaciam nititur in illius sufficientia. Denique omnis efficaciam huius sacrificij debet fundari in aliquo merito & satisfactione Christi: sed non in nouo merito & satisfactione, quae Christus habet, incruente offerendo, ut sepe dictum est: Christus namque iam non est in statu merendi, vel satisfaciendi: & quia hoc sacrificium non est institutum propter solam efficaciam: ergo fundatur in merito & satisfactione, quae Christus habuit in vita mortali, & in cruce consummavit. Cauendum autem hic est aliquid extremum quorundam, qui dicunt efficaciam huius sacrificij non solum fundari in satisfactione Christi, sed etiam in satisfactionibus Ecclesiae & Sanctorum, quae in thesauro Ecclesiae seruantur, & per hoc sacrificium applicari possunt. Hoc enim verum non est, loquendo, prout loquimur de proprio effectu ex opere operato, qui in sola Christi institutione & promissione fundatur. Christus autem non fundatur institutionem suam, neque sacramentorum, neque sacrificij, in alienis meritis, sed in proprijs: quia neque alijs indiget, neque aliter fieri debebat, cum potestas excellentiae eius ad haec omnia sufficeret, & habitura esset effectum independentem ab operibus alienis, iuxta vim suae institutionis & promissionis. Dico autem proprie loquendo de effectu ex opere operato, quia per modum indulgentiae interdum potest Ecclesia applicare de thesauro suo satisfactionem aliquam, mediante sacrificio Missae, sicut id facere consuevit medijs alijs operibus: vel etiam media susceptione alicuius sacramenti, ut latius dicemus de indulgentijs disputantes: tunc autem ille effectus distinctus est ab effectu ex opere operato, & extrinsecus atque accidentaliter illi coniunctus.

Fundamentum prioris opinionis nitebatur proprie in autoritate negatiua, quia nimirum, non constat de Christi promissione. Ad quod aliqui respondent, non esse necessariam specialem promissionem, quae sed sufficere solum sacrificij institutionem, quae secunda necessario adducit efficaciam sacrificij ad huiusmodi effectum: quoniam est sacrificium nouae legis, & perfectum. Sed hoc indicat quidem congruentem rationem, ob quam institutio talis sacrificij postulat, ut ei talis promissio adiungatur, non tamen satis

factus est, vt huiusmodi effectus vel efficacia possit sine promissione speciali intelligi; nā tota ratio sacrificij etiam in noua lege potest perfecte intelligi absque huiusmodi effectū, vel causalitate ex opere operato. In quo est nonnulla differentia inter sacramentum & sacrificium, nam sacramentum per se primo institutum est ad sanctificationem conferendam, & significandam: & ideo tale sacramentum intrinsece includit in sua institutione, vt sit signum perfectæ sanctificationis, quæ fit per gratiam ab ipsomet collatam: in quo continetur quidem promissio gratiæ, tamen illa intrinsece includitur in institutione talis sacramenti, vt tale signum est sacrificij vero per se primo instituitur in cultum Dei, quoad significationem moralem, & hoc sacrificium institutum est in representationem passionis Christi, quoad significationem mysticam: & hæc sunt, quæ per se pertinent ad institutionem talis sacrificij vt sic. Quod autē vltra hoc habeat virtutem conferendi aliquem effectum ex opere operato, est quidem decenter annexum tali sacrificio: non est tamen ita per se & intrinsece inclusum in ratione, vel significatione sacrificij.

Inter sacrificium & sacramentum quoad effectum ex opere operato differentia

Obiectum

Dices, esto ita sit, considerata solum cōmuni ratione sacrificij: tamen loquendo de sacrificio propitiatorio, necessario includit habitudinem ad aliquem effectum remittendi peccatum, quoad culpam, vel pœnam. nam in hoc propitiatio consistit. Respondetis, esse posse sacrificium propitiatorium absq̃ effectū ex opere operato, per modum solius impetrationis, vel ex merito operantis. Sed contra, quia non agimus de sacrificio propitiatorio in cōmuni, sed in particulari de tali sacrificio propitiatorio, perfecto in suo genere. Respondetur: esto, hoc totum concedamus, in hoc ipso necesse est includi promissionem: nam, vel in hoc sacrificio consideratur dignitas entitativa (vt sic dicam) sc. quod in eo Christus offert, & offertur, & hæc præcise non sufficit: potuisset enim Christus instituire hoc sacrificium cum tota hac dignitate, non ordinando istud ad aliquem effectū, vel consideratur dignitas efficacia (vt sic dicam) in propitiando: & hanc necesse est esse adiunctam, media promissione, nam pendebat ex Christi voluntate. Et confirmatur, nam sacrificium hoc confert tantum effectum, & non maiorem, nec minorem: sed hoc definitum est ex sola Christi voluntate: non enim est hoc sacrificium tanquam agens naturale ex se determinatum ad tantum effectum: ergo, quod sacrificiū hoc conferat hunc, vel illum effectum, & tantum, ac non maiorem, pendet ex Christi promissione: ergo & simpliciter, quod conferat effectum. Tandem declaratur, nam sacrificium crucis in esse suo tam perfectum fuit, sicut sacrificium incruentum: & tamen nullum habuit effectum ex opere operato, quoad efficaciam, solum, quia ex Christi voluntate fuit ad hoc ordinatum, sed habuit sufficientiam, quæ ex natura rei secuta est, supposita dignitate personæ offerentis, & aliis conditionibus ad satisfaciendum requisitis: ergo similiter hoc sacrificium, quantumuis perfectū in suo esse, non intelligitur habere prædictam efficaciam, nisi adiuncta ordinatione, aut promissione Christi: concedenda ergo est huiusmodi promissio. Nec refert, quod in Scriptura sacra non inueniatur expressa: sufficit enim Ecclesiæ traditio, ex qua sufficienter colligitur, vt ostensum est. Dici etiam potest, in iuramentum esse à Christo in illis verbis consecrationem sanguinis: Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: intellectus de effusione mystica, vel sacramentali.

Sacrificij huiusmodi effectus ex opere operato in Scriptura promissus.

Ad primam confirmationem ex Concil. Trident. spondetur, nec omnino omisisse hunc effectum dicens, per hanc incruentam oblationem vberime percipi fructum cruentæ oblationis, nec expresse vti voluisse verbis significantibus opus operatum, quia res non est tam constans & certā, vt ab ipso esset expresse diffinienda.

Ad secundam confirmationem respondetur, hunc effectum non pendere ex sanctitate proximi ministri offerentis: quod vero esse non possit sine sanctitate Christi offerentis principalis, non est contra efficaciam ex opere operato, tum quia omnes effectus gratiæ, cuiuscunque rationis sint, pendunt ex Christi sanctitate, & ex valore, quem habent ex eius dignitate: tum etiam, quia illa Christi sanctitas in hoc sacrificio per se concurrat, & necessaria est ad perfectionem ipsius sacrificij: & vt semper atq̃ infallibiliter sit Deo gratum: ad effectum autem ex opere operato per se ac formaliter non esset necessaria: quia, vt sæpe dixi, huiusmodi effectus non fundatur in actuali merito, vel satisfactione Christi, quæ de nouo sunt hac oblatione incruenta, quia reuera nulla sunt: imo nec fundatur in actuali impetratione: quia simpliciter necessaria non est, fundatur tamen in merito passionis, & in promissione tunc facta, quæ infallibiliter habebit effectum, etiam si ponamus, Christum non amplius orare, neque impetrare: sicut dicendum est de effectibus sacramentorum, nam eadem ratio de hoc sacrificio, & de quolibet alio, quod potuisset Christus in lege noua instituire, in quo ipse neque offerret, neque offerretur: & tamen quod haberet effectum ex opere operato in virtute passionis suæ.

Fundamenta secundæ sententiæ, si quæ sunt, ex dictis sufficienter expedita manent, nam, licet hoc sacrificium sic in suo esse æquè perfectum, ac sacrificium crucis, differunt tamen in duobus, quæ ad rem præsentem multum referunt. Vnum est, quod Christus offerens in vtroq̃ sacrificio non est nunc in statu merendi & satisfaciendi, sicut fuit tempore passionis, hinc enim fit, vt hæc sacrificia non habeant æqualitatem in actuali merito vel satisfactione: & consequenter, vt vnum possit in efficacia sua ab alio pendere. Alterum est, quod hæc duo sacrificia ad diuersos fines instituta & ordinata sunt: vnum ad sufficientiam, & aliud ad efficaciam: & ideo non oportet, vt tam vniuersalis sit causalitas vnius, sicut alterius, sunt enim diuersarum rationum, vt id satis declaratum est. Authores autem ibi citati reuera non loquuntur de effectu ex opere operato, sed absolute, siue fit illo modo, siue per modum impetrationis: & hoc modo tribui potest huic sacrificio vniuersalis causalitas, non quod necessaria sit ad omnes affectus gratiæ, nec quod facti omnes ab illo proueniant, sed quod hoc sacrificium, quantum est ex se, potest offerri ad impetrandum quemcunque effectum gratiæ, qui propter Christi passionem nobis conferri potest: nam, licet sine hac impetratione possit etiam dari, & interdum detur per alia media, tamen oblatio huius sacrificij potest etiam ad hoc inuare, præsertim ad impetrandum, vt alia media applicentur, vel vt homo fit recte dispositus, ne illorum effectibus obicere ponat.

SECTIO II.

Verum hoc sacrificium sit alijs modis fructuosum, præterquam ex opere operato.

Ratio dubitandi est, quia non videtur esse medium inter opus operantis, & opus operatum: sed huic sacrificio, vt est opus Christi, non est tribuenda causalitas ex opere operantis, vt sæpe dictum est: ergo solum potest causare ex opere operato: nam quod, vt est opus ministri, possit habere effectum ex opere operantis, non refert: quia & est per accidens, & est quid commune omnibus alijs bonis operibus: propter quas causas etiam hoc non computatur inter effectus sacramentorum vt sic. Maior probatur: quia illa duo membra videntur condistingui per immediatam cōtradictionem: aut enim effectus fundatur in promissione Christi facta ipsi operi externo: & sic est ex opere operato, vel non: & sic tantum potest huiusmodi

Ratio differentialis.

niti in merito operantis: ergo non est medium. Vel aliter, aut talis effectus pender ex bonitate ministri offerentis, & sic erit ex opere operantis; vel non pender, & sic erit ex opere operato. Vel aliter; aut talis effectus infallibiliter datur non ponenti obicem, & sic erit ex opere operato: aut non datur infallibiliter, & sic non erit effectus sacrificij: sicut non est effectus sacramenti ille, qui non datur infallibiliter per sacramentum non ponenti obicem, vt in superioribus dixi. Vnde sumitur aliud argumentum à simili, nam in sacramentis vt sic, non est alius modus causandi, nisi ex opere operato: & omnis alius effectus pertinet ad opus operantis: ergo idem dicendum est in hoc sacrificio: est enim eadem ratio, quia omnia nituntur in promissione Christi, quae remoto obice, debet esse infallibilis, nam si ablato obice, adhuc posset non dari, iam non niteretur in promissione, sed ex mera Dei voluntate penderet.

In hac re graues auctores tractantes de effectu huius sacrificij, dicunt illud operari per modum meriti de condigno: per modum satisfactionis: & per modum imperationis. Caietanus, Soto, Corduba, & alij de citatis dubio praecedente, & (quod amplius est) ita etiam loquitur Catechismus Pij V. tract. de sacrificio circa finem. Non tamen explicant hi auctores, sub qua ratione, vel in ordine ad quas personas loquantur de hoc effectu: nec; an sit distinctus ab effectu ex opere operantis, & operati: vel ad quem illorum pertineat. Vnde fit, vt obscure loquantur, & fortasse non proprie in omnibus. Vt ergo rem distinctius explicemus, distinguamus tria, quae in hoc sacrificio considerari possunt. Primum est id, quod habet hoc sacrificium ex vi institutionis aut promissionis Christi. Secundum est id, quod habet ex vi actualis oblationis, vt est à proximo ministro offerente. Tertium est id, quod habet ex vi actualis oblationis, vt est à Christo principali offerente: diximus enim supra, Christum hic non tantum offerre, quia minister in persona eius offert ex vi prioris institutionis, sed etiam, quia per aliquem actum proprium actu concurret ad ipsam oblationem.

*Quaedam placitum.*

Ex his igitur tribus, duo postrema difficultatem non habent: quia de ministro proxime offerente, certum est, posse per hanc oblationem mereri de condigno, & satisfacere etiam, vel impetrare ex opere operantis, si sit in gratia, & debita intentione & circumstantiis offerat: est enim haec oblatio honestum & religiosum opus: sicut ergo per alia bona opera homo iustus meretur, & satisfactio: ita & Sacerdos iustus per hoc opus. Item in lege veteri: vel naturae, Sacerdos offerens sacrificium merebatur de condigno, & satisfaciebat concurrentibus ceteris circumstantiis: ergo etiam nunc Sacerdos: imo eo magis, quo opus ipsum ex obiecto melius est & dignius. Et quoad hoc vocatur ab aliquibus hic effectus ex opere operato: quia opus ipsum ex se, & ratione rei oblatæ est dignum tanto effectu, si ex parte operantis cetera necessaria concurrant. Sed hoc improprie dictum est, & præter usum illius vocis: alias simili modo dici posset, amorem Dei ex opere operato augere gratiam, vel mereri: quia natura sua, & vi sui obiecti dignus est tali valore: sic enim in presenti, interior actus, seu voluntatis offerendi tale sacrificium est, à quo pender totus hic effectus, & valor exterioris oblationis, vt est à proximo operante: ipsa vero exterior oblatio comparatur ad interioriorem solum, vt ad obiectum, dans actui specificam bonitatem, & dignitatem. Est ergo proprie loquendo totus hic effectus ex opere operantis. Vnde fit, vt quoad effectum meriti de condigno non habeat vim extra ipsum operantem, nec possit aliis communicari: quoad effectum vero satisfactionis (& idem est de imperatione) possit aliis communicari, seu pro aliis offerri: nam quoad hæc omnia, eadem est ratio de hac oblatione considerata vt est opus operantis, quæ de aliis operibus merito-

riis, satisfactoris, & impetratoris. At vero considerando hanc oblationem, vt est à Christo principali offerente, sæpe dictum est, non esse actu, vel de nouo meritoriam; seu satisfactoriam ex opere operantis Christi: quia iam Christus non est in statu merendi, vel satisfaciendi, vt in primo tomo huius tertie partis ad quaest. 19. D. Thom. late disputauimus: oblatio ergo hæc sub hac consideratione nullum effectum habere potest, per modum meriti, vel satisfactionis de condigno. Potest autem habere effectum per modum imperationis, nam, vt dixi in eodem primo tomo ad quaest. 21. Diui Thomæ, quamuis Christus nunc non sit in statu merendi, vel satisfaciendi, est tamen in eo statu orandi & impetrandi; & ideo, quando hoc sacrificium actu offert, intelligi potest specialiter impetrare eodem modo, & cum eadem efficacia, qua id facit in celo pro nobis orando: vt ibidem dictum est. Et hæc etiam impetratio, seu effectus eius non pender ex actuali oratione Christi, sed ex promissione, vt in fine sect. præced. dicebam: sed dici potest pertinere ad opus operantis Christi. Vnde hic effectus, seu modus causandi non est omnino certus: quia non est ita certum Christum nunc existentem in celo actu coniungere orationem suam, cum omni oblatione huius sacrificij, eamque ad aliquid imperandum referre seu ordinare: est tamen certum posse ita fieri, vnde sit verisimile, aut semper, aut plerumque fieri, quando autem fit, indubitatum est etiam habere prædictam efficaciam, & operandi modum.

Sic igitur, quæ pertinent ad secundam & tertiam considerationem huius sacrificij supra politas, & cetera sunt, & breuiter expediuntur, & tota difficultas huius dubij ad primam considerationem reuocatur. In qua locum iam non habet, si proprie loquamur, causalitas, seu impetratio per modum meriti vel satisfactionis de condigno, quo de nouo fit in hoc sacrificio: quia nec fuit in illo, vt est à Christo, vt sæpe dictum est: vt vero esse possunt à ministro, siue omnino pro accidens ad hanc considerationem: nam, licet contingat non esse, ob malitiam ministri, nihilominus sacrificium eodem modo operatur ex promissione Christi: sacrificium ergo sub hac consideratione non dicitur causare meritorie, vel satisfactorie: sed ex opere operato applicando iustissimum meritum, & rigorosam satisfactionem Christi iuxta promissionem eius: sic enim sacramenta non causant proprie meritorie vel satisfactorie, sed ex opere operato fundato in merito & satisfactione Christi. Quod si quis contendat, hanc causalitatem dicendam esse meritorie, vel satisfactorie, quia in merito, vel satisfactione Christi fundatur, quæ rationem facit de modo loquendi, & præter modum vitatum loquitur. Atque idem fere est, vt supra dicebam, si hæc causalitas impetratoria vocetur, dummodo impetratio sit infallibilis, quia nimirum, hoc sacrificium potius nobis obtinet à Deo effectum suum, seu promissionem scilicet penæ, quam per se illam efficiat, quia moraliter illam causat, non physice, vnde illa moralis causalitas, impetratio dicitur. Quamuis alia ratione, vt supra etiam attingi, deficiat à ratione imperationis, quia iam supponit concessionem factam ex parte Dei, & solum actu applicat, quod concessum est: vnde proprius dicitur solutio penæ à nobis debita, quam ex satisfactionibus Christi per hoc sacrificium exhibemus. Solum igitur superest explicandum, an præter hoc genus solutionis vel causalitatis, habet hoc sacrificium ex se & ex institutione Christi alium modum operandi, vel impetrandi, distinctum à præcedente, & inferiori illo.

Dico primò; Hoc sacrificium præter effectum ex opere operato habet ex vi suæ institutionis specialiter vim ad impetrandum eos effectus, pro quibus obtinendis offertur. Colligitur ex Theologis supra citatis.

igitur, proqui-  
bus offertur  
impetrare.

citatis, & probatur primo ex usu Ecclesie, quo vbiq;  
& semper seruatum est, vt in oblatione huius sacrificij  
oret minister pro viuus & defunctis, pro Ecclesie  
pace & aliis similibus rebus seu necessitatibus homi-  
num: quia nimirum semper existimatum est, sacrificij  
hoc plurimum valere ad conferendam huius-  
modi orationi impetrandi vim, vt colligitur ex Dio-  
nyf. c. 3. de Eccles. Hierarch. Clemente, libr. 8. Constit.  
Cyril. Hierosol. Catech. 5. mytag. Tertul. lib. de orat.  
& lib. ad Scapul. capitul. 2. & preced. disput. alia attu-  
limus, & asseremus plura in sequentib. sectionib. Se-  
cundo declaratur ratione, nam impetratio proprie  
fit per orationem: per alia autem opera fit, quatenus  
adiunguntur orationi, sicut in Dei obsequium eo  
animo & intentione, vt cum inclinamus ad id nobis  
concedendum, quod petimus vel optamus; sed hoc  
sacrificium est magnum Dei obsequium, & illi valde  
gratum, & potest adiungi alicui petitioni, seu deside-  
rio obtinendi a Deo aliquod beneficium: ergo est de  
se plurimum valens ad illud impetrandum. Dices,  
hoc solum procedere de valore ex opere operantis.  
Sed contra, nam etiam si intelligamus, proximū mi-  
nistrum esse indignum, & ex hoc capite oblationem  
nō habere valorem, adhuc intelligemus, sacrificium  
ipsum ex vi sue institutionis, a qua habet, vt in perso-  
na Christi offertur, retinere valorem suum, & vim  
ad impetrandum; quia semper offertur in persona  
Christi; quod semper est quid distinctum ab actuali  
oblatione interiori, quam Christus fortasse in celo  
exercet, vt supra declaratum est. Confirmatur, nam  
hoc ipsum sacrificium, vel alie Ecclesie orationes,  
quatenus nomine Ecclesie per ministros suos offe-  
rentur, habent suum valorem ad impetrandum in-  
dependentem a merito vel valore proximi operantis:  
ergo multo magis id habebit sacrificium hoc per se-  
se, & vt offeruntur in persona Christi. Confirmatur  
secundo, quia per se verisimile est, Christum Domi-  
num directā ac propria intentione instituisse hoc sa-  
crificium, vt esset nobis aptissimū remedium ad im-  
petrandum a Deo: & ad dandum vim & efficaciam  
petitionibus nostris; quod facis videtur Ecclesie cō-  
suetudo & traditio declarasse: nam, si in lege veteri  
erant sacrificia specialiter ad hoc munus impetrandi  
instituta, & hoc vnicum sacrificium loco omnium il-  
lorum datum est, tanquam eminentissime continēs  
omnem eorum perfectionem, necesse est fieri, sa-  
crificium hoc excellentiori modo habere hanc vim  
impetrandi ex vi sue institutionis. Et fortasse ideo  
Christus voluit in persona sua semper offerri, quia  
voluit, vt semper haberet valorem ad impetrandum  
apud Deum; & ob eandem fortasse causam etiam  
voluit, vt fieret per mactationē mysticam, & repræ-  
sentationem passionis sue, vt inde etiam haberet spe-  
cialē vim impetrandi, quoniam ex Christi passione  
omnes gratie in nos proueniunt.

In multis  
efficitur ab o-  
pere operato  
differt.

Dico secundō: Hic modus efficacie seu impetra-  
tionis, & effectus inde proueniens, multis modis dif-  
fert a propria causalitate, & effectū ex opere operato.  
Hanc conclusionem pono, vt res intelligatur, & tol-  
latur vocum ambiguitas & controuersia: si fortasse  
quis contendat, impetrationem hanc seu effectum ab  
illa prouenire, dicendum esse ex opere operato,  
quod non pendeat ex sanctitate aut merito proximi  
offerentis, quo sensu fore procedunt rationes dubi-  
tandi in principio posite. Nos vero dicimus, quam-  
uis hi duo modi in hoc conueniant, tamen simplici-  
ter esse diuersos & priorem esse proprie ex opere o-  
perato, hunc vero posteriorem proprie esse per mo-  
dum impetrationis. Quod probatur, declarādo eor-  
um differētiā. Prima est, quod prior causalitas fundat  
in speciali promissione, distincta a substantiali  
institutione sacrificij, & non necessario ex illa conse-  
cuta, sed ex Christi beneplacito adiuncta, vt supra sa-  
tis declaratum est. Posterior autem modus impetra-  
tionis non requirit speciale promissionem, sed ex

natura talis sacrificij necessario consequitur, nam ex  
sanctitate & maiestate talis sacrificij intrinsece sequi-  
tur ille valor ad impetrandum: nam sicut ipsum est  
alissimum Dei obsequium, & de se mundum & illi  
placitum: ita de se est idoneum ad inuitandam diui-  
nam voluntatem, vt postulata concedat. Et confir-  
matur, nam ex vi sue institutionis habet, vt in perso-  
na Christi offertur; quod non pertinet ad prom-  
issionem alicuius effectus, sed ad ipsam substantia-  
lem institutionem sacrificij: sed hinc habet intrin-  
sece prædictum valorem, multoq; magis, si non so-  
lum postulat institutio, vt in persona Christi offerat-  
ur, verum etiam, vt ab ipso Christo actualiter offerat-  
ur.

Secunda differentia notāda est: quod ad effectum  
ex opere operato, non est necesse, vt offerens specia-  
liter peccat, vel consequi intendat illum effectum:  
propter quod dixi superius, illum modum causali-  
tatis non proprie dici impetrationem, cum nō indi-  
geat nec nitatur petitioni offerentis, sed Christi pro-  
missioni: ita enim operatur sacrificium illum effe-  
ctum, sicut sacramentum efficit suum sacramentum  
autem hoc ipso, quod alicui applicatur, confert illi  
effectum, etiam si neq; miter, neq; ipse hoc inten-  
dat, sed solum non ponat obiectionem: ergo & hoc sa-  
crificium alicui applicatum, seu pro aliquo oblatum,  
absq; alia speciali petitione aut determinatione con-  
fert illi effectum suum ex opere operato: at verō  
effectum per modum pure impetrationis nullum  
confert, nisi ex peculiari intentione sacrificantis vel  
offerentis specialiter applicetur ad hoc vel illud be-  
neficium obtinendum, & ratio est, quia vt supra di-  
cebam, nullum opus est impetratorum actualiter,  
nisi prout adiungitur petitioni. Item, quia, licet hoc  
sacrificium de se habeat hunc valorem, tamen de  
se est indifferens, & ideo, vt actu impetret, neces-  
se est, quod per aliquam petitionem vel desiderium,  
cui adiungitur, determinetur ad aliquid impetran-  
dum.

Tertia differentia est, quia prior effectus ex opere  
operato infallibilis est, nam fundatur in promissio-  
ne absoluta respectu eius, qui non ponit obiectionem; at  
vero posterior effectus de se non habet, vnde sit in-  
fallibilis. Patet, quia nec fundatur in promissione, vt  
dictum est, nec etiam debetur ex iustitia: quia non  
nititur in merito de condigno ipsius offerentis: vt  
etiam est dictum: ergo. Et confirmatur, quia hic effe-  
ctus impetrationis habet adiunctam orationem, que  
interdum infallibiliter impetrat ex promissione, si  
habeat omnes requisitas condiciones: & tunc, si ora-  
tioni adiungatur sacrificium, infallibilis quidem erit  
impetratio, magis ob promissionem orationi factā,  
quam ex aliqua ratione propria illius: interdum ve-  
rō oratio non infallibiliter impetrat, si caret aliqua  
condicione requisita: & tunc etiam ex sacrificio non  
habet infallibilem impetrationem: nullum enim est  
principium eius, quamuis conferat magnam vim o-  
rationi, vt obtineat, quod sine sacrificio fortasse non  
obtineret.

Sed contra: nam hæc impetratio nititur Christo,  
vt principali offerenti, & consequenter, vt impetra-  
ti: sed impossibile est, Christum non exaudiri, ergo  
impossibile est, hoc sacrificium non impetrare: ergo  
etiam in hoc operandi modo habet infallibilem effi-  
caciā. Secundō, sacrificium de se est sufficientissi-  
mum ad hunc effectum: cur ergo non semper habet  
illum? aut enim hoc prouenit ex defectu dispositio-  
nis, vel offerentis, vel eius, pro quo offertur: & ita e-  
rit ratio obiectionis: non quia effectus de se non sit in-  
fallibilis: aut prouenit ex sola Dei voluntate: & hoc  
esset gratis dictum, nam Deus semper operatur iuxta  
exigentiam causarum secundarum. Ad priorem par-  
tem recolenda est doctrina tradita in priori tomo,  
orationem Christi esse duplicem, vnam fundatam in  
voluntate absoluta & efficaci, & hanc infallibiliter  
impe-

Secundū

Tertiū

Obiectū alie  
quod differt  
in modis.

impetrare : aliam vero fundatam in voluntate inefficaci, & quasi antecedente , & hunc non semper impetrare: quia impetratio accommodatur voluntati,

*Quare peti-  
tione quibus  
hoc sacrificium  
adungitur,  
non necessa-  
rio fortianetur  
essendum.*

Hoc ergo supposito, dicendum est, Christi personam in hoc sacrificio dupliciter posse intercedere. Primo solum ut presentatam in persona ministri ex vi primæ institutionis. Secundo, ut actu offerentem. Impetratio ergo, de qua nunc agimus, per se loquendo, solum fundatur in persona Christi priori modo considerata, & ut sic, non includit absolutam voluntatem ipsius Christi de effectu impetrando, quia illam non necessario habuit, quando sacramentum instituit, quia neq; in particulari, ut per se constat, neque in generali: non enim voluit absolutam voluntatem, ut omnia, quæ per hoc sacrificium postularentur, omnino concederentur, talis enim voluntas æquivaleret promissioni, quæ non intercessit, neq; cum vllò fundamento affirmari potest, cum neque necessario sit coniuncta cum institutione sacrificij, neq; vlla ratione, vel autoritate probabili constet. Quin potius ostendi potest, non fuisse convenientem: quia non semper expedit omne id dari, quod per hoc sacrificium postulatur: igitur ex vi institutionis solum voluit Christus hoc sacrificium tam esse purum, & perfectum, ut de se valeat ad diuinam voluntatem inclinandam, ut postulata concedat, quamuis necessitatem non imponat ad id faciendum, neq; simpliciter, neq; ex aliqua suppositione. At vero Christus Dominus, ut nunc offert, quamuis fortasse semper actu offerat, tamen non est necesse, ut semper efficaciter intendat obtinere effectum illum, quem Sacerdos, vel alius offerens intendit, & ideo etiam ex hac parte non est necesse, ut hæc impetratio sit infallibilis. Quod autem illud necessarium non sit, patet, quia nulla lege vel promissione se obligauit Christus ad efficaciter petendum, quidquid priuatus offerens petit, aut desiderat: neque hoc sequitur ex natura talis sacrificij, neque est semper expediens: vnde valde rebus ipsis & effectibus, constat etiam non ita fieri. Ad posteriore partem respondetur primo absque speciali indispotione offerentis, vel eius, pro quo offertur, posse id prouenire ex solo libero beneplacito Dei, quod interdum concedit vni; quod alteri negat, etiam si fortasse ex parte illorum nulla sit differentia: quod commune est cuiuslibet cause morali, quæ mouet causam liberam: nam hoc ipso, quod necessitatem non infert, etiam si ipsa ex parte sua sufficienter, & æqualiter moueat, potest alia non operari. Deinde etiam si non interueniat obex: potest intercedere alia causa pertinet; vel ad commune bonum, vel ad priuatum alicuius personæ; ut si alicui postulatur salus, quamuis non sit indignus illa, & ex hac parte non ponat obicem impetrationi, fieri tamen potest, ut Deus præuideat, eam non expedire, vel ipsi personæ, vel alijs, vel ad aliquem finem, quem Deus intendit, & ideo potest non concedere tale beneficium, cum alioqui nulla promissione absoluta obligetur.

*Quartum.*

Quarta differentia est, quia hic posterior modus cauſandi vniuersalior est, quam prior; tum ex parte personarum, quia ad plures personas extenditur hæc impetratio, quam opus operatum, ut ex præcedente disputatione & sectione constare potest, & magis patebit ex sequentibus, tum etiam in effectibus, nam opus operatum definitur ad certum ac definitum effectum, hæc vero impetratio ad quoslibet effectus diuinæ beneficentiæ extendi potest, ut dicebam in fine sectionis præcedentis explicando D. Thom. & alios authores, & confirmat satis vsus Ecclesiæ in omnibus liturgijs. Item, quia hæc impetratio tam late patet, quam oratio, & quam Sacerdotale munus: Sacerdos enim, ut Chrysoſt. ait, lib. 6. de Sacerdotio, & Ambrosi. officior. c. 43. est vniuersalis Legatus apud Deum pro vniuerso orbe, & pro omnibus deprecatur, quod maxime præstat per sacrificij oblationem: & sic etiam recte intelligitur, quod Trid. ait, sess. 22.

*D. Thom.*

*Chrysoſt.*

cap. 2. per hanc oblationem vberime percipi fructus oblationis cruentæ: quia in vtraq; idem est offerens, & quod offertur. Quo tandem fit, ut hi duo modi cauſandi quodammodo se habeant, ut excedens & excessum: nam prior superat in infallibilitate, & certitudine; posterior vero in vniuersalitate & quadam infinitate, ut postea dicemus.

SECTIO III.

*Vtrum sacrificium Eucharistiæ conferat gratiam primam, & remissionem culpæ mortali, per se, & ex sua primaria institutione.*

HActenus generatim explicuimus varios operandi modos huius sacrificij: superest, ut in particulari de effectibus eius dicamus, aperiendo quos effectus vno modo conferat, quos vero alio. Inter quos effectus, primus ac præcipuus esse potest primæ gratiæ infusio, & remissio mortali culpæ: de quo variet fuerunt hæc nostra ætate sententiæ. Prima est, hoc sacrificium immediate per se, ratione rei oblate conferre primam gratiam & remissionem culpæ mortalis ex opere operato, faciendi hominem ex attrito contritum, non per mutationem actus attritionis in actum contritionis, sed per infusionem habitualis gratiæ, quæ ipsa attrito formatur, sicut ne per baptismum, vel poenitentiam. Itaque iuxta hanc opinionem, si Sacerdos offerat sacrificium Missæ, pro aliquo peccatore, & contingat in eo siante, in quo sacrificium periclitur, illum peccatorem esse attritum ex vi talis sacrificij, dabitur ei gratia habitualis in eodem instante: siue intelligatur dari physice per sacificationem ipsam, vel per terminum sacificationis, qui est Christus sub speciebus oblatæ, siue solum moraliter, infallibili tamen consecratione: quia nimirum per modum sacrificij ita reddidit nobis Deum placatum, ut nos statim in suam gratiam & amissionem restituat. Hæc opinio sic explicata solet tribui Gabr. lect. 57. in Canon. citari etiam solent Petrus Dorso de doctrina. 7. de Euchar. & alij, quos asseremus sect. seq. Sed reuera nullus eorum in proprijs terminis hanc sententiam docuit. Potes tamen fundari primo in verbis illis consecrationis calicis: Qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum: quæ, ut supra vidimus, è multis Patribus, & Catholicis Doctores de inuenta effusione exponuntur, & sunt optima & annotanda verba August. ser. 4. de baptis. Innoc. Super altare corpus Domini offertur, nec merito illic (id est, sub altari) vniuersam sanguinis postulabatur, & vbi pro peccatoribus. Christi sanguis effunditur: sit ergo hæc sacramentalis & sacramentalis effectus in remissionem peccatorum, quæ simpliciter dicta, remissionem non tantum peccati, sed etiam culpæ mortalis, quæ proprie ac simpliciter peccatum est, significat. Vnde Alex. Papa, epist. 1. decretali. c. 4. prædicta verba tractans, ita concludit. Crimina atque peccata oblatæ his Domino sacrificij delentur, & in ista. Talibus hostiis delectabitur, & placabitur Deus, & peccata dimittet ingentia. Quæ verba probasse & vniuersè videtur Conc. Trid. multum, ut videtur, huic sententiæ fauens, sess. 22. c. 2. dicens. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum poenitentiae concedens: crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Quocirca cum paulò superius dicit, per hoc sacrificium fieri, ut si vero corde, & recta fide cum metu, & reuerentia contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, gratiam inueniamus in auxilio opportuno: hæc dispositio, quæ contritum requirit ad effectum huius sacrificij, intelligenda erit, non de contritione & poenitentia perfectis, sed de attritione: quæ idem Concil. sess. 24. c. 4. contritionem imperfectam appellauit. Hinc etiam Cyr. ser. de ecclesia Domini, ponderans eadem verba consecrationis Calix (in)q; solèni benedictione sacræ ad totius hominibus

minis vitam, salutemq; proficit: simul medicamen-  
tum existens & holo caulum, ad sanandas infirmita-  
tes, & purgandas iniquitates.

*Martialis.* Secundo probari potest ex dictis & traditione San-  
ctorum. Martialis enim in epistola ad Burdegal. capi-  
cul. 3. Quod Iudaei, inquit, per inuidiam immola-  
uerunt: nos in ara sanctificata proponimus, scientes,  
hoc solo remedio nobis vitam praeclandam, & mor-  
tem effugandam. August. quaest. in Leuiticum, quaest.  
57. dicit, in hoc sacrificio heri veram peccatorum re-  
missionem: & 20. de Ciuit. c. 25. generatim dicit, sa-  
crificium offerri Deo, vt cum ei acceptum fuerit, tunc  
peccata dimittat. Greg. 4. Dialog. capit. ul. 58. Hec, in-  
quit, vltima ab interitu aeterno animam saluat, &c. &  
infra. Hinc ergo pensamus, quale sit pro nobis hoc sa-  
crificium, quod pro absolutione nostra passionem Vni-  
geniti Filij semper imitatur: subdit vero statim cap.  
65. Sed necesse est, vt, cum haec agimus, nosmetip-  
sos Deo in cordis contritione maectemus, tunc ei go vere  
pro nobis hostia erit Deo, cui nos ipsos hostiam fecer-  
imus: quae verba possunt late de contritione intelli-  
gi, prout attritionem comprehendit. Gregorius Nazian-  
zenus orat. 1. in Iulian. Mox in cruenti sacrificij  
manus comaculat, per quod chusto vinum, nec no  
passionis & diuinitatis eius participes reddimur, &  
Damasce nus lib. 4. de fide. capit. ul. 4. dicit, Haec pura  
hostia & incruenta, omnis no cumcti est reparatio, o-  
mnis fordis purgatio. Deniq; Iul. Papa, vt Gratianus  
refert in capit. Cum omne crimen, de Consecratione,  
distinctione 2. & in Coeilio Sracensi. III. capitulo  
1. & V. vortatiensi. capit. 4. Omne crimen atq; pecca-  
tum oblati Deo sacrificijs deleri, quod maxime heri  
sentunt hoc sacrificio. Tertio argumētari possumus  
in hūc modū, nam hoc sacrificio offertur pro obti-  
nenda remissione peccatorū mortalium, etiā quoad  
culpam: sed non offertur pro obtinenda remissione,  
quoad sufficientiam: hoc enim fuit propriū sacrificij  
crucis: ergo quoad efficaciam: est ergo hoc sacrificiū  
efficax ad applicanda Christi merita ad hunc effectū  
maior est in primis expressa sententia Ambrosij, lib. 1.  
Officior. cap. 48. vbi dicit, Christum hic offerri, & se  
offerre, vt nostra peccata dimittat, & Hieronymus e-  
pistol. 16. ad Damasce. de illo prodigo, vbi dicit,  
Christum esse vitulum saginatum, qui ad penitentium  
immolatur salutem: & super epistolam ad Titum c. 5.  
de Episcopo inquit, Quotidie pro suis populiq; pec-  
catis liberas Deo oblaturus est victimas, & Cyrillus  
catech. 5. Mytagog. Christi pro nostris peccatis ma-  
ctatum offerimus, vt, & illis eum, qui est benignissi-  
mus, propitium reddamus. Iustin. Dialog. cum Try-  
pho. dicit Eucharistiam offerri pro expiatione pecca-  
torum, idem fere Chryso. homil. 3. super epist. ad E-  
phes. & lib. 6. de sacerdotio, & Origen. hom. 13. in Le-  
uit. Deinde constat ex vsu Ecclesiae, nam in omnibus  
liturgiis fit oblatio in hunc modū: in liturgia Iacobi,  
Vt ea deleatur delicta, quae admisimus, & vt toti po-  
pulo tuo sis propitius, vt tibi grato & diuino oblato  
sacrificio, digni habeamur vita aeterna. In liturgia Ba-  
silij, Vt fiat acceptabile pro peccatis nostris, & populi  
ignorantia. In liturgia Chryso. Fac nos dignos offerre  
tibi dona, & sacrificium speciale pro nostris peccatis,  
atq; ignorantis populi, & praes. as, vt inueniam gratia  
in conspectu tuo. Et nunc in Canon. Miss. pronitemur,  
hoc sacrificium offerri pro redemptione animarum  
nostrarum: Vnde interdū petit Ecclesia, vt sacrificiū  
hoc, sit ablutio scelerū, sit fortitudo fragilū. Deniq;  
id constat, quia de ratione sacrificij propitiatorij est,  
vt pro peccatis offeratur: & hoc est praecipuum sacer-  
dotis munus, iuxta illud ad Hebr. 5. Vt offerat do-  
na & sacrificia pro peccatis. Sed hoc sacrificio est pro-  
pitiatōrium ex vi suae institutionis, & in eo genere est  
summum ac perfectissimum, ergo offerri debet pro  
peccatis modo perfectissimo: ergo non tantum pro  
peccatis, quoad poenā, sed etiam quoad culpam, nec  
tantum venialem, sed etiam mortalem: & ad efficaci-

ter propitiandum pro illius remissione: quod non  
fit, nisi virtute ipsius sacrificij ex opere operato cul-  
pa tollatur, & gratia infundatur. Ex his ergo omni-  
bus colligitur, hanc fuisse Christi institutionem,  
quam vsus Ecclesiae, & Sanctorum traditio, satis de-  
clarauit, & ratio ostendit esse valde congruentem, &  
quae deceat maiestatem tanti sacrificij.

Quarto, hoc ipsum declaratur, & confirmatur in  
hunc modum, nam Christus, in quantum Sacerdos  
secundum ordinem Melchisedech offerre potuit, &  
obtulit sacrificium remissionem peccatorum, quoad  
culpam: sed tale sacrificium obtulit in nocte cenae,  
vt supra dictum est: ergo sacrificium illa nocte obla-  
tum, fuit efficax ad remittenda peccata, & iustifican-  
das animas: ergo & sacerdotium nouae legis & hoc  
sacrificium, prout per Sacerdotes offertur, est simili-  
ter efficax ad eundem effectum. Patet consequentia,  
quia hoc nostrum sacrificium est idem cum illo, &  
nostrum sacerdotium est quaedam participatio Sa-  
cerdotij Christi: imo quodammodo est idem cum  
illo habitudine quadam & representatione, quate-  
nus Sacerdos Euangelicus in potissimo actu suo, qui  
est actus sacrificandi, personam Christi gerit, ipsumq;  
representat, maior autem propositio sumitur ex Di-  
uo Iho. 3. p. q. 2. a. 3. vbi agens de sacerdotio Christi  
secundum ordinem Melchisedech, docet, fuisse effi-  
cax ad expianda peccata, quoad culpam: quod sumit  
ex Paul. ad Hebr. 9. Quinto, sacramenta nouae legis  
habent vim remittendi peccata: ergo decuit, vt sa-  
crificiū etiam nouae legis similem vim haberet. Pro-  
batur consequentia: tum quia ratio sacrificij, vt sic,  
perfectior est, quam ratio sacramenti: & ex parte rei  
oblata, est etiam in lege gratiae nobilissima: tum et-  
iam, quia sacrificium propitiatorium magis intrin-  
sece ac per se videtur ad remissionem peccatorum  
ordinatum. Denique, quia in hoc sacrificio expres-  
sius representatur passio Christi, per quam pecca-  
ta remittuntur. Sexto tandem argumentor: Nam  
Christus Dominus potuit hanc vim conferre huic  
sacrificio, vt per se notum est: & decuit ac conue-  
niens fuit, vt eam daret: tum propter dignitatem  
tanti sacrificij, & infinitatem suorum meritorum:  
tum propter hominum fragilitatem & indig-  
niam: tum denique ad ostensionem suae benignitatis  
& liberalitatis, vt omnibus modis nobis peccata re-  
mitteret, non solum recipiendo, sed etiam offerendo  
Christum ipsum, a quo est omnis gratia & peccato-  
rum remissio.

Secunda sententia extreme contraria est, hoc  
sacrificium nullo modo posse primam gratiam, vel  
remissionem culpae mortalis conferre. Ita sentit  
Cano. lib. 12. de locis, capitulo 23. ad nonum. Cor-  
dub. lib. 2. quaestione 3. notab. 4. Lindanus libro 4.  
Panopliae, capit. 51. & 53. Alia de traditione part.  
3. considerat. 5. Fundamentum eorum est, quia hoc  
sacrificium non habet effectum, nisi in hominem iam  
iusto, vt Concilium Tridentinum, & alij Patres su-  
pra citati magis significant: ergo non potest hoc  
sacrificium primam gratiam conferre, saltem per se,  
& ex dicta institutione: quia non potest conferre ef-  
fectum, quem supponere necessario debet, vt possit  
operari, sicut de sacramentis viuorum supra diceba-  
mus. Dico autem, per se & ex directa institutione:  
nam, verum saltem per accidens id possit, pender ex  
alia quaestione tractanda in sectione sequente, an pos-  
sit hoc sacrificium, gratiae augmentum virtute sua  
conferre.

Haec duae opiniones, vt mihi quidem videtur, vel  
errant, vel indistincte & obscure locutae sunt, quia  
non satis dixerunt duos operandi modos supra posi-  
tos, qui in hoc sacrificio reperiuntur, quos praeculis  
habere oportet, ad eius effectus declarandos.

Dico ergo primo, negari non posse, quin sacrifi-  
cium hoc vim habeat ad obtinendam a Deo remis-  
sionem peccatorum, etiam mortalium, & quoad  
culpam,

*Nazian.*

*Iul. Papa.*

*Cano. Bra-*

*mbrosij.*

*Ambrosij.*

*Hieron.*

*Cyrillus.*

*Iustinus.*

*Origen.*

*D. Thom.*

*Hebr. 9.*

*Opinio.*

*Cano.*

*Coradubi.*

*Lindanus.*

*Alia.*

*Prima gra-*

*tia & mor-*

*talium etiā*

*peccatorum*



remissionem  
sacris  
Eucharisti-  
cum im-  
pore valeat

culpam, & consequenter gratia primae infusionem  
Auctores pro hac sententia referant in quarta asser-  
tione: neque existimo, auctores citatos in secunda  
opinionem eam negare, sed locutos esse de effectu ex  
opere operato iuxta sequentem actionem, quia re-  
uera in alio sensu magis vniuersali negari non possent  
sine errore: vt conuincunt testimonia & rationes ad-  
ductae in prima sententia. Neque enim illis omnibus  
verisimiliter accommodari potest responsio Cui  
dicentis, peccata in illis locis significare penas pecca-  
torum, iuxta illud secundi Machab. 12. Sancta & sa-  
lubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt a pecca-  
tis soluantur, id est, a penis seu reatibus peccatorum:  
nam licet haec significatio interdum visitata sit, tamen  
si recte testimonia adducta ponderentur, plus do-  
cent: nam dimittere crimina, & ingentia peccata  
plus est, quam remittere peccatorum penas. Item,  
offerre hoc sacrificium pro redemptione animarum  
plus est, quam offerre pro remissione penarum. I-  
tem. Concil. Tridentin. diserte dicit, sacrificium hoc,  
offerre pro viuorum peccatis, penis, &c. Item ibi-  
dem ait, per oblationem inuentam vberissime per-  
cipi fructum oblationis cruentae: & si solum quoad  
remissionem pena perciperetur, non esset vberissi-  
ma, sed valde imperfecta & diminuta participatio.  
Denique euidenter constat ex vsu Ecclesiae, non solum  
offerri hoc sacrificium pro obtinenda remissione pe-  
nae, sed etiam pro iustificatione peccatoris: ergo ipsa  
met iustificatio potest aliquo modo esse effectus hu-  
ius sacrificij: nam imprudenter offerretur sacrificium  
pro re obtinenda, quam nullo modo praestare possit.  
Ratio autem huius conclusionis constabit, explican-  
do modum huius effectus.

Ad remit-  
tenda pecca-  
ta vel in-  
funde dam-  
prima gra-  
tia hoc sacri-  
ficiu per se et  
directo insti-  
tutum non est.

Ruap.

Dico secundo: Hoc sacrificium non conferre per  
se, & ex directa institutione sua, gratiam primam vel  
remissionem peccati mortalis ex opere operato. Di-  
co, per se, quia, an possit per accidens, pendet ex di-  
cendis scilicet. seq. & ideo ibi melius dicitur. De hac au-  
tem conclusione vix quicquam in propriis terminis  
reperitur in antiquis Theologis Scholasticis, nedum  
in sanctis Patribus: hoc autem suo silentio satis do-  
cent, nunquam agnouisse in hoc sacrificio huiusmo-  
di causalitatis genus circa hunc effectum, nam, & alio  
modo explicant hunc effectum, vt videbimus, & alio  
effectus declarant per modum operis operati,  
non vero hunc. Vnde Ruard. art. 16. qui quaestionem  
hanc distinctius attigit, negat se audere contrariam  
opinionem defendere: & idem tenent auctores su-  
pra citati in 2. opinione, & quos in sequentibus cita-  
bimus. Ratio vnica est, quia hic effectus non potest  
colligi ex sola rei natura, etiam supposita substantia-  
li institutione huius sacrificij, sed necessaria est pecu-  
liaris lex & promissio Christi: hac autem lex vel  
promissio affirmari non potest vilo probabili funda-  
mento: ergo non est temere asserenda, nam diuina  
& supernaturalia mysteria, quae ex Dei voluntate  
pendent, non sunt sine auctoritate sufficiente, vel  
ratione admodum cogente, seu principis reuelatis  
valde consentanea, pro libito affirmada. Maior pro-  
positio, in prima sect. in discurfu simili sufficienter  
probata est. Vnde inefficacia sunt argumenta, quae  
ad contrariam opinionem suadendam sumi possunt  
vel ex infinitate huius sacrificij, aut ex parte rei obla-  
tae, aut ex parte principalis offerentis, aut ex perfe-  
ctione legis gratiae, & sacrificij eius propitiatori:  
quia haec omnia non ostendunt, hunc effectum sequi  
intrinsicce ex tali sacrificio: sed ad summum ostendunt  
nonnullam congruentiam, quae esset quidem  
si talis fieret lex vel promissio: sed oporteret prius  
illam ostendere, quod fieri non potest. Et omnia illa  
argumenta inefficacia ostenduntur in sacrificio cru-  
entis, quod etiam fuit institutum, &c. tamen non ha-  
bit hunc effectum ex opere operato: est ergo neces-  
saria promissio seu diuina lex & institutio. Quod  
autem haec nulla sit, ostendo, discurrendo per omnia

principia, quibus constare possent. Primo, quia in  
Scriptura nullus est huius promissionis indicium  
comeditibus enim & bibentibus carnem & sangui-  
nem Christi, vita aeterna promittitur: non autem  
pro quibus hoc sacrificium offerretur. Verbum au-  
tem illud consecrationis calicis sollet. Qui pro ve-  
bis effundetur in remissionem peccatorum, nihil  
probat, tum quia possit exponi sufficienter de effu-  
sione cruenta: tum etiam, quia, licet exponatur de my-  
stica, possit exponi de remissione peccatorum, quoad  
penam: vel etiam quoad culpas veniales: tum etiam,  
quia licet exponatur de culpis mortalibus, non est  
necesse intelligi de remissione ex opere operato: facta  
enim esse possit alius modus imperationis, vt dica-  
mus. Denique possit exponi, effundi sanguinem in re-  
misionem peccatorum: quia cum effunditur in ora  
fidelium, eis gratiam donat, vt Augustin. supra cita-  
tus significat: & eodem modo potest dici consecra-  
tio & mystice macerari Christus in remissionem pecca-  
torum: quia immolatur, vt sit fidelibus in alimoniam  
vita, & consequenter, in remissionem peccatorum,  
si illa indigerint. Quae vitima interpretatio potest  
accommodari multis Patrum locutionibus, vt ver-  
ba, & intentio eorum recte penduntur.

Secundo, vbi quae Concilia vel Patres loquuntur  
de hoc effectu, nunquam significant, illum dari per  
sacrificium sine sufficiente dispositione & contritio-  
ne: sed indicant, hanc ipsam dispositionem posse per  
hoc sacrificium imperari: hunc enim sensum habent  
illa verba Concil. Trid. plane intellecta. Huius quippe  
pe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum  
penitentiae concedens, crimina & peccata etiam in-  
gentia dimittit: & fortasse ideo in proxime prece-  
denti, verbis dixit, per hoc sacrificium fieri, vt misericor-  
diam consequamur, & gratiam inueniamus in auxi-  
lio opportuno, vt ad veram conuersionem cordis  
& penitentiam accipiamus: nunquam ergo intulit  
Concilium sacrificium hoc dare remissionem pec-  
cati mortalis immediate absque contritione perfecta.  
Vnde licet gratis admittamus, priora verba intelli-  
gi de contritione imperfecta (quod etiam gratis dicitur,  
quia, licet attritio secundum quid & cum addito, al-  
quando dicatur contritio imperfecta, tamen absolu-  
te, contritio, sere semper sumitur pro contritione per-  
fecta) esto, inquam, id concedamus, Concilio tamen  
non dicit, illam contritionem sufficere ad primam gra-  
tiam vel remissionem peccati per hoc sacrificium  
immediate recipiendam, sed ad inueniendam misericor-  
diam & gratiam in auxilio opportuno, nam, si prior  
contritio fuerit perfecta, inuenimus auxilium & gra-  
tiam, ad perseverandum, vel crescendo in operibus  
iustitiae: hoc enim est auxilium opportunum, seu con-  
ueniens tali dispositioni: si autem prior contritio fuerit  
imperfecta, inuenimus auxilium & gratiam ad per-  
fectum donum penitentiae obrinendum. Denique  
quod Concilium ibi non loquatur de huius effectus  
ex opere operato, constat: tum quia absolute de fru-  
ctibus passionis Christi dicit, per hanc inuentam ob-  
lationem vberissime percipi: quod ita generatim non  
esset proprie dictum de effectu ex opere operato, vt  
pater ex dictis praecedente sect. tum etiam, quia eo-  
dem modo dicit, offerri pro fidelium viuorum pec-  
catis, & aliis necessitatibus, constat autem non sub-  
uenire hoc sacrificium omnibus necessitatibus ex o-  
pere operato.

Tertio possunt ex opposito inferri multa incon-  
moda, quae non obscure indicant esse hoc aliter, & in  
sensu Ecclesiae. Primum est, quia suppositis funda-  
mentis supra iactis de essentia huius sacrificij, sequi-  
tur, Sacerdotem consecratum in peccato mortali  
iustificari per solam consecrationem, dummodo in  
ea actualiter non peccet, & attritus sit: hoc autem in-  
auditum est in Ecclesia: imo sequitur, licet posse Sa-  
cerdotem accedere ad sacrificandum pro se cum at-  
tritione cognita: quia accedit ad remedium per se  
institu-

institutum ad toll&ndum peccatum : per quod statim iustificabitur : & sciam iustificatus poterit etiam licite sumere sacramentum cum eadem attritione facta contritione per informationem grati&e. Secundum est, quia sequitur, aliquem existentem in peccato mortali, qui prius attritionem habuit, ipso nihil amplius de sua salute, vel emendatione cogitante iustificari solum, quia alius pro eo Missam offert, quod etiam est valde absurdum. Tertium est, esse optimum remedium ad consequendam peccati remissionem sine contritione petere ab alio sacrificium, seu elemosynam dare, vt pro me Missam faciat : ita, vt, si quis sciens & videns se non esse contritum, sed tantum attritum, hoc remedio vtatur, hoc ipso, quod alter pro illo sacrum faciat, iustificabitur. Nam hic non erit necessarium, attritionem esse existimatam contritionem : tum quia dicitur sacrificium per se habere hunc effectum : tum etiam, quia hic non interuenit obligatio implendi aliud preceptum, vt ad excusandam transgressionem eius, necessaria sit talis existimatio contritionis : quia non est preceptum existendi in gratia, vel habendi contritionem, vt licite possit aliquis petere, pro se offerri sacrificium : ergo si cum attritione cognita id faciat, licite faciet, etiam si id faciat intentione obtinendi gratiam in eo statu sine meliori dispositione : quia hac intentio non erit mala, si verum est sacrificium de se habere talem efficaciam : ergo, si alter sacrificium offerat, ipse consequetur effectum : hoc autem remedium generis aduersus statum peccati hoc modo intellectum, alienum est a sensu omnium fidelium, & ad bonos eorum mores parum certe conducens : datur enim illis occasio, vt in agenda poenitentia, veram cordis contritionem procuranda, desitiosi sint. Quartum, quia sequitur, eadem facilitate dici posse, quotiescunq; homo, qui peccauit mortaliter, audit Missam cum sola attritione, iustificari : nam suo modo offert sacrificium, & quantum est ex modo talis oblationis, consequi potest effectum ex opere operato huius sacrificij, & alioqui non ponit obicem : quia ad hoc satis esse dicitur, quod sit attritus. Quod si respondeas, oblationem illius non esse sacrificialem, seu sacramentalem : sed priuatam tantum, seu spirituales : hoc non constat, quia iam supra offendimus, hoc offerendi genus non esse mere spirituale & internum : sed esse aliquo modo sacramentale, non quatenus immediate exercetur a priuata persona, sed quatenus fit a sacerdote, vt offerente oblationes omnium, qui cum ipso offerunt, & specialiter concurrunt, quorum personas specialiter gerit : & ideo ipsi per illum specialiter offerunt, & effectum ex opere operato participant : ergo omnes etiam consequentur hunc effectum : si attriti sint, nec poterit sufficiens ratio reddi ad hoc negandum, si aliud admittitur.

Quintum & magnum inconueniens est, quia peccator semel iustificatus hoc remedio sacrificij, non indigebit alio ad remissionem peccatorum obtinendam, quod est contra fidem : nam inde sequitur, confessionem non esse simpliciter necessariam ad salutem homini post Baptismum susceptum, mortaliter peccanti, quod est hereticum. Dicitur fortasse, quamuis sacrificium habet hunc effectum, tamen simul cum attritione postulare votum confessionis, semperq; manere obligationem illud implendi : atque ita semper confessionem esse necessariam, non obitante predicta efficacia sacrificij. Sed, licet hoc ita necessario dicendum sit in predicta sententia, ne fidei sit contraria, tamen reuera non dicitur constanter, seu consequenter : quia, quando aliquod remedium est per se institutum ad aliquem effectum, & ad illum est sufficiens, non est necessarium aliud remedium, nec votum illius : sed hoc sacrificium dicitur per se institutum ad hunc effectum : ergo est sufficiens ad illum : quia virtute sua : & ratione su&e institutionis, & non ratione alterius, illum conferre : ergo, cum hoc non recte son-

Franc. Suarez. Tom. 3.

sonat, dicere, quod simul indigeat alio remedio ; vel voto illius. Responderi potest, non esse superfluum, sed superabundantem gratiam, quod ad eundem finem duo sint remedia per se instituta, sicut inter homines ad obtinendam remissionem iniuri&e fact&e, duplex via teneri solet, scilicet, vel submissionis & poenitentiae, vel offerendi magnum aliquod donum. Sed contra, nam licet demus, duo remedia, si sint, non propterea esse superflua : tamen, si singula per se sufficiunt, neutrum potest esse necessarium : & ideo, si vnum, vt necessarium praescribitur, aliud merito superuacaneum censetur. Vnde non est simile, quod adducitur, nam homines ad remissionem iniuri&e non requirunt, vt necessariam veram poenitentiam de iniuria illata, sed interdum externis donis contenti sunt : quia magis vtilitatem propriam, quam aliorum emendationem quaerunt : Christus autem poenitentiam & confessionem requirit, tanquam omnino necessariam : & ideo nullum aliud remedium instituit, tanquam per se sufficiens. Et confirmatur ac declaratur in sacramentis viuorum, quando enim faciunt hominem ex attrito contritum, ideo requirunt votum confessionis, quia non per se, sed per accidens id praestant : nam si per se, & ex institutione sua, id haberent, non indigerent adminiculo alterius : nam ad suos proprios ac per se effectus ipsa per se sufficientia sunt : idem ergo haberet hoc sacrificium, si per se esset ad hunc effectum institutum : & hoc non parum confirmant verba Concil. Trident. dicentis sessio. 7. in principio, (omnem gratiam amissam per sacramenta reparari) nam illa doctrinalis propositio aequiualeat exclusiue, scilicet, per sola sacramenta : quia de sacrificio, vt sic, nunquam quid simile dictum est : tum etiam, quia si aliqua gratia amissa per aliud remedium repararetur, iam non omnino gratia amissa per sacramenta restauraretur : vel, si illud aliud remedium non operatur, nisi in ordine ad aliquod sacramentum, iam non est per se institutum ad talem effectum. Et confirmatur tandem : quia omnes fer&e Theologi (& insinuat etiam Conc. Tridentin.) ex verbis Pauli, (Probet autem seipsum homo), colligunt, ex diuino precepto confessionem esse praemittendam communioni, si homo habeat conscientiam peccati mortalis : vt non tantum dispositionem operantis, sed etiam remedium ex opere operato ad talem probationem adhibeat : supponunt ergo, non esse aliud remedium, quod per se & ex directa institutione Christi habere possit hunc effectum ex opere operato : nam si sacrificium hoc possit praestare, sufficeret sacrificium prius pro se offerre cum attritione, & postea Eucharistiam suscipere.

Sextum inconueniens est, quia eadem facilitate posset aliquis dicere etiam hoc sacrificium oblatum pro Catechumeno attrito iustificare illum, in voto saltem Baptismi. Video responderi posse : non esse par&e ratione, quia Baptismus, sicut est ianua ad alia sacramenta, ita & ad hoc sacrificium : & ideo nullus est capax huius effectus ex opere operato, nisi per characterem baptismalem. Sed, licet hoc verum sit de proprio ac vero effectu ex opere operato, vt infra dicemus, nihilominus tamen argumentum factum vile est ad ostendendum inefficacia esse fundamenta, quibus prima opinio nitetur. Nam etiam pro Catechumeno potest offerri hoc sacrificium, vt Deus illi remittat peccatum, & gratiam conferat, & consequenter ad hoc habet aliquam efficaciam, aliam non recte offerretur : ergo ex huiusmodi modo offerendi & causandi, non potest inferri efficacia talis effectus ex opere operato : neque impetratio infallibilis, etiam si sacrificium oblatum in ratione sacrificij institutum sit. Ac simile argumentum est : nam hoc sacrificium offerri potest pro baptizato peccatore non attrito, vt ei gratia & remissio peccatorum conferantur, non posset autem sic licite offerri, si immediate

diatè ex opere operato esset talis gratia conferenda: nam, sicut illicitum est, dare sacramentum homini indispòsito ad effectum eius, ita esset illicitum applicare sacrificium homini indispòsito ad effectum eius ex opere operato: ergo, cum illa applicatio licita sit, & in Ecclesia vitata, signum est posse ad aliquid aliud fieri, quam ut conferat effectum ex opere operato: ergo ex illa, ut sic, nunquam licet inferre huiusmodi effectum, nisi aliquid aliud adiungatur, vnde constare possit.

*Illatio ex in-*  
*conuenienti-*  
*bus.*

Ex his ergo omnibus satis colligitur, ex Christi promissione, aut institutione non posse colligi huiusmodi effectum, neque esse in Ecclesia sufficiens aliquod indicium talis institutionis; & potius esse multa, quae satis indicant, nullam fuisse de hoc effectu Christi promissionem. Huius autem rei congruentia reddi potest: quia licet de potentia absoluta Christus hoc facere potuerit, non tamè fuit necessarium, neque expediens iuxta ordinatum prouidentiae modum: quae autè à Deo sunt, ordinata sunt: Instituit enim Christus Dominus ad remediū peccati originalis, & mortalis duo medicamenta, quae per se voluit esse ad huiusmodi effectum sufficientia & necessaria: & ideo non fuit conueniens, remedium aliud ab his distinctum ad eundem effectum per se instituire. Quod autem illud remedium magis in sacramento, quam in sacrificio positum fuerit, non sine sufficiente ratione factum etiam est: tum quia sacramentum per se primò ordinatur ad sanctificationem suscipientis, & ideo eleuatum est ad conferendam sanctificationem gratiae omnibus modis: sacrificium vero ex se ordinatur ad colendum Deum, & consequenter ad impetrandum aliquid ab illo, vel ad satisfaciendum illi pro poena debita, & ideo non oportuit sacrificium eleuari ad extraneum effectum, quasi alienum, & sacramentorum proprium. Nam Deus vnamquamque rem eleuat ad operandum conuenientem modo in suo ordine & ratione: tum etiam, quia sacramentum, vel in receptione consistit, vel per eam applicatur ad agendum, & ideo per illam aliquater homo disponitur, & saluti suae cooperatur: at verò sacrificium de se, & per solam extrinsecam denominationem applicari potest, & ideo non erat proportionatum instrumentum ad huiusmodi effectum. Nam propter hanc fortasse causam, etiam ipsum sacrificium crucis, quoad sanctificationem hominum, quoad sufficientiam fuit potissimum, noluit Christus, ut per se solum esset efficax, vel ad minimum gradum sanctificationis conferendum, nisi per sacramenta, vel alia opera, applicaretur.

*Non contri-*  
*to homini*  
*remissionem*  
*peccatorum*  
*non impetrat*  
*hoc sacrificium*  
*immediate.*

Dico tertio: Hoc sacrificium non potest valere etiam per modum impetrationis ad conferendam vel obtinendam immediatè gratiam aut remissionem peccati homini existenti in peccato mortali, & per solam attritionem disposito. Dico, immediatè, id est, sine media contritione aut confessione, ita ut, perseverante sola attritione, ei infundatur gratia absque vilo sacramento realiter suscepto. Huiusmodi enim effectus est contra, vel praeter legem ordinariam à Deo statutam: & ideo inordinatum esset, illum postulare, nam, quia Deus statuit, neminem iustificare, nisi per Baptismum, vel absolutionem, in re suscepta, vel in voto per contritionem, inordinatum esset, à Deo petere, ut paruulo det gratiam sine Baptismo, vel adulto sine contritione aut sacramento, sicut esset etiam inordinatum: petere, ut det alicui characterem Ordinis sine sacramento Ordinis, & sic de alijs, quae sine speciali miraculo & exceptione ab vniuersali lege fieri non possunt: ergo nec sacrificium potest licitè offerri ad hoc obtinendum à Deo: neque cum tali oratione coniungi: ergo impetratio non prouocabit Deum ad misericordiam, sed potius ad iram: talis ergo impetratio huic sacrificio non conuenit. Dices, interdum posse à Deo postulari aliquid praeter legem ordinariam, alias nunquam liceret à Deo

miraculum petere. Responderetur, illud ipsum esse praeter ordinariam legem ex aliquo extraordinario dono seu motione Spiritus sancti: nos autem huiusmodi sacrificium secundum legem ordinariam, ac propriam huius sacrificij institutionem: Si autem interdum Spiritus sanctus speciali instinctu & dono moueret hominem ad id petendum, & propter eum finem sacrificium offerendum, iam tunc ipse etiam daret virtutem impetrandi: tamen huiusmodi motio seu instinctus Spiritus sancti, non facile credendus est, quia vix esse potest vtile, nedum necessarium, ut sanctificetur homo per solam attritionem sine vilo sacramento.

Dico quarto, hoc sacrificium posse nobis impetrare gratiam & remissionem peccati mortalis impetrando nobis sufficientem dispositionem ad huiusmodi effectum. Hæc conclusio sequitur euidenter ex præcedentibus à sufficiente enumeratione partium: nam hoc sacrificium potest offerri ad hunc effectum, iuxta primam conclusionem, & non ex opere operato, iuxta secundam: ergo per modum impetrationis, quia non est alius modus cauendū praeter hos, non autem impetrando immediatè, iuxta tertiam conclusionem: ergo saltem mediatè, mediè scilicet sufficiente dispositione, cum non sit possibile aliud medium, quod à nobis possit ratione aliqua excogitari, & hoc esse videtur, quod dixit Concilium Trident. (Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum poenitentiae concedens, crimina & ingètia peccata dimittit. Et hic est sensus omnium Patrum, quos inter confirmandam primam sententiam citauimus, ut patet: tum ex eorum verbis tum ex omnibus, quae dicta sunt. Est etiam hac doctrina communis Scholasticorum. D. Thom. in 4. d. 21. q. 1. q. 2. quæstio. 2. ad 4. dicit, Eucharistiam, in quantum est sacramentum, habere effectum in omni viuentem, in quo requiritur, vitam præexistere, sed in quantum est sacrificium, habere effectum etiam in alijs, pro quibus offertur, in quibus non præexistit vitam spirituales in actu, sed in potentia tantum. (Et ideo si eos, inquit, dispositos inueniat, eis gratiam obinet, & per consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat. Idem sentit Durandus ibid. q. 4. Dicit Maior, qu. 1. Soto, dicit. 13. qu. 2. artic. 1. nec aliud sentit Petrus Soto, dicit a lectione 7. nec Gabriel supra, & lect. 26. & 27. & latius in 83. Albertus Pighius contrauerf. 5. & Casp. Cassa. lib. 2. de sacrificio Missæ & Can. in Catech. cap. de Euchar. qu. 4. Idem Turrian. lib. 1. pro canonib. Apost. cap. 24. Ruard. Can. & Cordub. locis citatis.

Sed superest explicandum, qualis sit hæc impetratio, an scilicet sit infallibilis, & ideo dici possit ex opere operato, vel non sit ita certa. In vtramque partem graues rationes & coniecturæ occurrunt. Quod enim hæc impetratio incerta sit, censent Durand. Cano. & Cordub. Et probatur primo, quia ita experimur non statim conuerti peccatorem pro cuius conuersione sacrificium Missæ offerimus, imo nec specialiter moueri ad poenitentiam agendam. Secundo, quia contritio est dispositio libera, pendens ex hominis voluntate: ergo ex hac parte non potest infallibiliter impetrari, quia ad summum impetrari potest diuinum auxilium, quod, aut est excitans, aut adiuuans, seu concomitans. Hoc positus est, quod immediatè insluit in ipsum actum contritionis: vnde, cum non determinet voluntatè ad vnum (aliàs tolleret libertatem) non potest esse efficax in actu secundo, nisi concurrente simul libera cooperatione voluntatis, & ideo non potest in se infallibiliter impetrari, sed ad summum, veluti in actu primo, quatenus intelligitur Deus esse paratus ad concurrendum, voluntate nostra cooperante: quod non satis est, ut ipsa actualis contritio sit infallibilis, quod nunc intendimus: auxilium autem ex-

citans præueniens, etiam si admittamus semper im-  
petrari per sacrificium (quod satis incertum est, vt  
dixi) tamen ratione illius non est infallibilis conuer-  
sio. Dices, hoc esse verum generaliter loquendo de hu-  
iusmodi auxilio; esse tamen quoddam particulare  
auxilium accommodatum & efficacius, quo posito, in-  
fallibiliter sequetur conuersio, & hoc posse per sacri-  
ficium infallibiliter obtineri. Sed contra, nam, vt alibi  
ostendendum est, nullum est tale auxilium efficacius  
ex intrinseca perfectione seu motione talis auxilij,  
sed solum ex præsentia Dei conditionata, qua scit  
Deus, quid vnaquæque voluntas operatura sit, hoc  
vel illo modo excitata & mota: at vero, nec per ora-  
tionem, nec per sacrificium, videtur posse impetra-  
ri infallibiliter hæc gratia opportunitas, seu effica-  
cia, qua pendet ex diuina præsentia, sed ad sum-  
mum talis, vel talis motio, qua interdum habebit  
effectum in vno; & non in alio; & eodem tempore,  
pro quo vtrique impetratur per sacrificium, & simi-  
liter in vno; & eodem pro diuersis temporibus acci-  
dere potest.

Aliorum vero sententia est, hunc effectum esse in-  
fallibilem aliqua ratione ex vi alicuius promissionis.  
Et primum explicare oportet, hoc esse possibile ad-  
uertendo, hanc promissionem non esse existiman-  
dam ita absolutam, vt non pendeat aliquo modo ex  
hominis dispositione, ac cooperatione: hoc enim  
commune est fere omnibus effectibus gratia: nam  
si sint habituales, pendet ex actuali dispositione, vel  
saltem requirunt, vt non ponatur obex, si sint actua-  
les: & perfecte humani, requirunt consensum libe-  
rum, & animi attentionem sufficientem: si vero  
tantum sint motiones gratia excitantis, vel præuen-  
ientis, saltem requirunt opportunitatem homini  
accommodatam: nam si homo sit actu dormiens,  
nectunc est dispositus ad recipiendam Dei motio-  
nem, nec etiam excitandus statim est à somno, vt il-  
luminetur: at vero est Prophetico modo illuminan-  
dus, & idem est, si ita sit intentus alijs rebus, vt mora-  
liter non possit de sua conuersione cogitare. Et hoc  
ad summum, probat experientia supra adducta, quod  
non omnes sentiunt in se huiusmodi motionem: est  
enim hoc verum de tempore, quo homo non est dis-  
positus, vel potius inde solum inferri potest, nobis  
non esse notum tempus, pro quo datur hoc auxilium,  
ratione sacrificij: quia fortasse expectat Deus  
opportunitatem tempus iuxta capacitatem nostram, &  
sua sapientia dispositionem, & ideo à nobis ignora-  
tur, quod nam illud sit. Quod ergo hoc modo possit  
impetrari hoc auxilium, non videtur dubium, nec  
contrarium potest experientia constare. Vnde multa  
ex his auxilijs numerantur, inter effectus sacramen-  
torum ex opere operato, quos necesse est, aliquo mo-  
do esse infallibiles: ergo eodem modo potuit Chris-  
tus promittere, ratione huius sacrificij, aliquod auxi-  
lium, quo peccator ad poenitentiam excitetur, si ipse  
non ponat obicem, & sit capax & in opportuni-  
tate debita ad tale auxilium suscipiendum. Neque  
enim necesse est, vt effectus censuatur infallibilis,  
quod statim eodem momento detur, quo sacrificium  
offeritur, sed opportuno tempore ad quod maxime  
ordinari debet intentio offerentis, de quo latius  
diximus, agentes de effectibus sacramentorum. Atq;  
hoc eodem discursu ostendi potest, non solum auxi-  
lium sufficiens, sed etiam efficacius, posse hoc modo im-  
petrari infallibiliter, quia sine dubio potest licite &  
sanctè ab offerente postulari & intendi, quod se Deus  
peccatorem moueat, eo tempore & modo, quem Deus  
ipse scit, opportunum futurum, vt ille conuertatur.  
Potuit etiam Christus hoc promittere; quid enim  
repugnat, cum totum hoc pertineat ad opus gratia,  
& sub meritum Christi ceciderit? Solum superest  
probandum, ita fecisse: potest autem verisimiliter  
probari ex illis verbis Concilii Tridentini, sess. 22. cap. 2.  
(Per ipsumque fieri, vt gratiam inueniamus in auxi-  
lium Franc. Suarez Tom. 3.

lio opportuno) & ex illis (Donum poenitentia concedere, &c.) nã auxilium opportunum, idem videtur  
esse, quod auxilium efficacius. Donum autem poeniten-  
tia est auxilium adiuuans in actu secundo: seu per-  
fecta contritio, qua etiam ingenita peccata remittit-  
tur. Loquens autem absolute Concilium, & requirès  
ex parte hominis aliquam dispositionem, videtur  
loqui de impetratione infallibili. Et confirmatur: nã  
hic effectus gratia est valde necessarius hominibus:  
ergo oportuit, vt certa & infallibili lege posset à Deo  
obtineri per aliquod remedium legis gratia à Chris-  
to institutum, sed nullum est aliud præter hoc sacri-  
ficium: Nam per nullum sacramentorum datur,  
vt de tractatu hæc tenet constat, & de reliquis certius  
est.

Hæc res mihi videtur obscura & incerta, tamen  
in primis verisimili? videtur posse interdum per hoc  
sacrificium impetrari, nã solum auxilium sufficiens,  
sed etiam efficacius, atq; à deo cõtritionem ipsam. Hoc,  
vt nimirum suadent verba Concilii Tridentini. sumit-  
ur etiam ex verbis D. Thom. supra citatis, & ex alijs  
authoribus. Et ratio facta id etiam conuincit, quia  
hic effectus impetrabilis est (vt sic dicam) & pro eo  
impetrando potest hoc sacrificium sanctè offerri: er-  
go impetrabitur aliquando. Secundo vero ex illis  
probabiliter, non posse hunc effectum vocari in-  
fallibilem. Primo quidem, quia effectus proprii sacra-  
menti, & sacrificij, prout infallibiles sunt, non dan-  
tur iuxta præsentiam Dei respectu futurorum,  
sed iuxta dispositionem eius; cui sacramentum ap-  
plicatur, vel pro quo offeritur sacrificium: alias di-  
cere quis posset, sacramentum dare gratiam ei, qui  
bene vsurus est illa: non autem ei, qui male vsurus  
est, etiam, si cetera sunt paria: At vero, quod auxi-  
lium sit efficacius, non semper est iuxta dispositionem  
eius, pro quo offeritur sacrificium: nam fieri potest, vt  
sit minus efficacius in melius disposito. Quia fere ratio-  
ne supra dicebamus, auxilium efficacius ad perseue-  
randum non esse effectum ex opere operato sacra-  
menti Eucharistia. Item, nullum est sufficiens fun-  
damentum, vt asseramus, Christum promississe hu-  
iusmodi effectum, aut absolute, aut sub aliqua certa  
conditione, quæ vel à nobis explicari, vel aliqua cer-  
ta lege comprehendi possit. Denique nulla est con-  
gruentia ad huiusmodi promissionem suadendam:  
quia ad spem peccatorum erigendam, satis est, quod  
intelligent, se posse impetrare hoc donum per hoc  
sacrificium, si cum timore & tremore accedunt. Ad-  
do etiam, si pro se ipsis orent, vel offerant, & impedi-  
mentum non apponant, impetrationem fore infalli-  
bilem, saltem ex promissione orationi factam. Ali-  
unde verò, ne nimium confidant, sed timeant, expedi-  
dit, vt intelligant, effectum hunc non esse infalli-  
bilem, quatenus ex oratione, vel oblatione alterius  
prouenire potest. Accedit, quod supra in simili di-  
cebam, ex alijs rationibus, vel causis vniuersaliori-  
bus diuinae prouidentia fieri posse, vt sæpe non ex-  
pediat, hoc donum concedere alicui personæ, etiam  
si speciale impedimentum ex parte eius non interce-  
dat. Quin potius addo, non esse infallibilem impe-  
trationem alicuius auxilij specialis, seu extraordinariae  
motionis, fundatam in aliqua speciali promissio-  
ne: nam Concilii Tridentini non de hoc loquitur, vt  
supra ostendi. Et nunc addi potest aliud argumen-  
tum: quia Concilium non fundat doctrinam suam  
in promissione, sed tantum in natura, & dignitate  
sacrificij: loquitur ergo de communi impetratione,  
quæ non semper infallibilis est, & sunt præterea alia  
conjectura, quia effectus infallibilis requirit certam  
aliquam dispositionem, qua posita, datur, & sine illo  
non datur: hic autem non ita est, nam hic effectus  
interdum impetratur homini obstinatissimo in pec-  
catis: non autem minus peccatori. Item gratia auxi-  
lians certa lege promissa, & quasi sacramentalis: sem-  
per promittitur, vt annexa alicui gratiae sanctificati,

Per sacrificium hoc auxilium etiam efficacius impetrari potest.

Impetratio talis oblationis sacrificij infallibiliter non respiciat.

vt patet in omnibus sacramentis : hoc autem auxilium vt impetretur, nec praesupponit gratiam sanctificantem, nec illam secum necessario affert, vt ex dictis constat. Item effectus infallibilis, est determinatus, & in numero, & in perfectione, hic autem non est huiusmodi, sed impetrari potest, interdum vni, interdum multis, interdum maius, interdum minus, iuxta intentionem vel petitionem offerentium, etiam si ex parte eorum, pro quibus fit oblatio, non sit disparitas. Non est ergo hic effectus ex opere operato proprie, sed tantum per modum impetrationis.

Fundamenta aliarum opinionum ex dictis expedita sunt: nam omnia iuuant, & confirmant nostram sententiam, & iuxta illam commode explicantur, quod praesertim de fundamentis primae sententiae magis patebit ex sectione sequenti.

SECTIO IV.

*Utrum sacrificium Eucharistiae per se conferat ex opere operato augmentum gratiae, & interdum saltem per accidens, primam gratiam.*

*Opinio quorundam.*

*Petrus & Dominicus Soto à calumnia vendicantur.*

*Consequentiū ex hac opinione.*

*Eucharistia sacrificium*

Prima sententia esse potest, hoc sacrificium oblatum pro homine iusto, conferre illi vi sua aliquod augmentum gratiae habitualis, non ratione alicuius meritorij actus, qui in illo excusetur: hoc enim, nec contingit, nec vilo fundamento asfirmari potest, sed immediate. Haec opinio tribuitur Petro Soto, lect. 7. de Euch. & Domin. Soto in 4. dist. 13. quaest. 2. art. 1. Sed hi authores, licet obscure loquantur, nunquam tamen hunc sensum facis declarant. Potest autem fundari omnibus coeucturis supra adductis. Primo, quia sacramentum Eucharistiae confert per se augmentum gratiae: ergo & sacrificium Eucharistiae. Patet consequentia, quia in suo esse, est tam perfectum, & in ratione sacrificij est magis intentum, quam in ratione sacramenti, vt supra dixi. Secundo, quia hoc sacrificium est infinitum in ratione sacrificij, quia in eo Christus sacrificat: ergo sicut in illo applicatur satisfactio Christi, quoad remissionem poenae, ita & meritum Christi, quoad aliquam gratiae infusionem: cur enim tanto sacrificio tribuendum est id, quod est imperfectum, non autem id, quod perfectius est? Aut cur in remissione poenae habet infallibilem impetrationem, non autem in gratiae augmento? cum valor eius ad vtrumque sufficiat superabundanter: maxime quia de ratione sacrificij, est habere vim ad impetrandam gratiam: ergo nobilius sacrificium maiorem habet vim: ergo infinitum sacrificium infinitam vim: ergo infallibilem impetrationem. Tercio, quia non est verisimile sacrificium hoc, vt fuit in nocte cenae à Christo oblatum pro Apostolis, non contulisse illis ex opere operato aliquam gratiam, cum fuerit infinitae efficaciae: ergo idem modo censendum est de nostro sacrificio. Iuxta hanc autem opinionem consequenter dicendum videtur, hoc sacrificium, quamuis per se non sit institutum ad dandam primam gratiam & remissionem peccati mortalis, per accidens tamen posse hunc effectum dare, interueniente bona fide ac remoto obiectione per attritionem: nam iuxta communem opinionem Theologorum: quicquid confert augmentum gratiae ex opere operato, conferre etiam potest, saltem per accidens, primam gratiam & remissionem peccati, vt patet in sacramento Eucharistiae, & in omnibus sacramentis viuorum: ergo idem erit in hoc sacrificio.

Dico primo, sacrificium hoc non conferre gratiae augmentum ex opere operato. Haec conclusio colligitur ex omnibus authoribus supra citatis, & Soto etiam in 4. dist. inct. 11. quaest. 2. artic. 5. absolute negat, posse hoc sacrificium dare gratiam, nisi per modum meriti. Sumitur etiam eodem modo ex tota antiquitate, quo doctrina tradita in sect. praeced. quia

nimirum nulla mentio talis ex opere operato in antiquis Doctoribus inuenitur, neque Christi promissio, aut lex contingenda est sine sufficiente fundamento. Et declaratur breuiter, nam dupliciter potest intelligi hic effectus. Primo, de immediato augmento gratiae habitualis, sine aliquo actu merito eius, cui augetur. Secundo, de hoc augmento, mediante actu, ita tamen vt ipse actus detur ex opere operato, ratione sacrificij. Primus motus est certe improbabilis, non solum quoad efficaciam ex opere operato, sed etiam quoad quamcumque impetrationem, alias posset hoc sacrificium offerri pro paruulo baptizato, vt ei gratia augeatur. Patet sequela, quia ad hunc effectum non est necessarius actus eius, qui receptorum est effectum, sed tantum offerentis, vt supponimus: ergo paruulus ex hoc capite capax est huius effectus: & alioqui ratione Baptismi, etiam est capax effectuum ex opere operato, si aliunde non repugnet: ergo ex parte offerentis, potest etiam fieri oblatio, & habebit effectum: Consequens autem est inauditum in Ecclesia: & reuera ellet valde temerarium, sacrificium pro paruulo offerre hac intentione. Et idem argumentum fieri potest de homine dormiente, pro illo tempore, quo dormit, & de phrenetico, amente & similibus. Neq. enim consequenter dici potest, requiri aliquem actum per modum dispositionis necessariae, quamuis gratiae augmentum non detur tantum ob meritum illius, sed ob sacrificium: quotiescunque enim augmentum gratiae habitualis datur ex opere operato, non requiritur actum dispositionem in suscipiente, sed solum, quod sit in gratia, vt supra ostensum est de Eucharistiae Sacramento, & de ceteris sacramentis viuorum: & ideo Confirmatio vel Eucharistia data paruulo, auget eius gratiam sine actu eius: idem ergo faceret hoc sacrificium applicatum paruulo, si ex se esset operatum talis effectus: cum ergo ex omnium consensu constet hoc sacrificium non posse ita operari in paruulo baptizato, signum est, hoc sacrificium non esse operatum, neque impetrationum talis effectus. Ratio autem à priori huius veritatis est, quia CHRISTVS non instituit ad hunc finem hoc sacrificium, neque ei promissit huiusmodi effectum. Huius autem rei congruentia reddi potest ex his, quae D. Thomas supra citatus tradit: quia Eucharistia, vt Sacramentum, ordinata est ad dandum augmentum, & nutriendam charitatem, & ideo, vt est sacrificium, ad alium effectum, nimirum ad satisfactionem peccatorum, ordinata est. Neque etiam oportuit ad eundem finem plures causas institueri, nec diuersarum causarum effectus confunderi: nam sicut conueniens fuit, ad effectus necessarios gratiae conuenientia media institueri, ita non oportuit ad eundem effectum sine causa multiplicare. Quod praeterea in hunc modum declaratur, nam augmentum gratiae ex opere operato dupliciter dari solet. Primo propter se, ad nutritionem charitatis, & hoc modo datur per Eucharistiam, vt Sacramentum, non vero vt sacrificium, ob rationem praedictam, quam magis in solutionibus argumentorum explicabo. Secundo modo datur augmentum gratiae propter aliquem specialem finem seu effectum, vt per Ordinem, ad digne ministrandum, per Matrimonium, ad sustinenda illius status onera, & sic de alijs. Per hoc autem sacrificium non datur propter aliquem specialem finem aut ministerium: nullus enim cum aliquo fundamento assignari potest, nam remissio, vel satisfactio pro poena, ad quam potest videri ordinari hoc sacrificium, non requirit speciale augmentum gratiae impetrationem autem aliorum effectuum, ad quam etiam institutum est hoc sacrificium, non requirit augmentum gratiae in eo, pro quo offertur, quia nec impetratio debet in illa fundari, sed in valore ipsius sacrificij, nec ad impetrandos alios inferiores effectus supponi debuit impetratio

tratio altioris & nobilioris effectus, qualis est imperatio augmenti gratiæ habitualis sine merito recipientis, & sine applicatione alicuius sacramenti. Atque hoc confirmari potest ex alijs adductis in 2. conclusione, præcedent. scilicet. nam hæc duo valde sunt inter se connexa, & similia.

*Conclavii.* Atque hinc consequenter fit, si hoc sacrificium non confert huiusmodi augmentum ex opere operato, neque per illud impetrari posse, neque omnino deberi à Deo peti, secundum legem ordinariam loquendo, quia esset petere effectum gratiæ præter ordinarium modum à Deo itaruti, & absque vlla causa sufficiente illius, id est, sine merito operantis & sine vlla causa, quæ possit ex opere operato illud conferre. Ex eisdem etiã principijs supra positus facile excludi potest alius modus augendi gratiam ex opere operato, medio actu merito ipsius recipientis, quia talis actus non potest esse effectus ex opere operato huius sacrificij: ergo neque effectus gratiæ ab illo proueniens potest huic sacrificio attribui ex opere operato. Antecedens probari potest eisdem rationib. & cõiecturis, quibus in præcedente sectione vñ sumus: est enim sere eadem ratio. Quocirca loquendo de modo impetrationis, verissimum quidem est, posse per hoc sacrificium alteri impetrari auxilium, vel sufficiens, vel efficax ad efficiendum actum, quo in gratia crescat, nam si hoc potest impetrari homini peccatori, cur non magis iusto? Qui effectus non videtur ita infallibilis, vt censendus sit ex opere operato. Vnde nec omnino definitus est, sed multiplex esse potest & varius, vel iuxta intentionem offerentis, vel iuxta dispositionem, & indigentiam eius, pro quo fit oblatio, vel certe iuxta dispositionem diuinam prouidentiam. Quod ita explicari potest: nam auxilia gratiæ, quæ per sacramenta dantur ex opere operato, tendunt ad certos & determinatos fines, & dantur iuxta dispositionem suffipientis, vt in confirmatione, ad continentiam huiusmodi, &c. At vero hoc sacrificium potest impetrare auxiliũ ad omnes fines & ad omnes actus, & ad vincendam quamcunque tentationem, & in maiori, vel minori gradu, etiam si dispositio inæqualis sit: ideo verissimilius est, hoc auxilium non esse ad vnum determinatum, neque etiam tam vniuersaliter promissum infallibiliter ex vi institutionis, nec in promissione fundari, sed in valore ipsius sacrificij, determinari autem ex intentione offerentis, adiuncta misericordia Dei, qui interdum non concedit quod petitur, vt aliud donet, quod opportunius est, magisque expedit ei, pro quo fit oblatio. Nullo ergo modo augmentum gratiæ potest vere sic proprie dici effectus huius sacrificij ex opere operato.

*Nec per accidens per sacrificium Eucharistiæ prima gratia potest dari.* Dico secundo: Per hoc sacrificium non potest conferri prima gratia aut remitti mortale peccatum, etiam per accidens. Probatur oppositè fundamentò præcedentis opinionis: nam, quod non potest per se conferre ex opere operato augmentum gratiæ, non potest etiam per accidens, dare primam gratiam: Sed hoc sacrificium non potest per se dare augmentum gratiæ: Ergo nec primam gratiam per accidens: ergo nec remissionem peccati mortalis, quæ non fit sine primæ gratiæ infusione. Accedit, quod in hoc sacrificio respectu eius, pro quo offertur, vix potest re ipsa distinguì, talis effectus per accidens, aut per se actus: vnde, si per se fieri non potest, vt offensum est, nec per accidens poterit. Antecedens declaratur, quia tunc gratia prima dicitur dari per accidens, quando per se requirit cõtritionem: & ratione ignorantie seu bonæ huiusmodi datur cum sola attritione, existimata contritione: hic vero non habet locum hæc ignorantia, neque est necessaria talis existimatio contritionis, vt supra dicebam: quia hic non interuenit aliquod præceptum, cuius transgressio excusanda sit per huiusmodi ignorantiam vel existimationes, quia non tenetur homo prius conteri, quam pro se faciat sacrificium offerri: ergo

si hoc sacrificium potest aliquando dare primam gratiam homini attrito: hoc etiã poterit, etiam si attritio cognita sit, quod est per se facere, & non per accidens: Si ergo per se non potest, nec per accidens potest.

Ad primum ergo argumentum in principio positum negatur consequentia: est enim diuersa ratio de Eucharistiã, vt sacramento, & vt sacrificio. Primum ob generalem rationem præcedente sectione innuatam, quod sacramentum ex generali ratione sua ad sanctificationem fidelium ordinatur: sacrificium vero ad cultum Dei. Deinde, quia Eucharistiã, vt sacramentum, datur in alimentum spirituale, vt in ipsa etiam exteriori sumptione significatur: vt sacrificium autem, ordinatur ad Dei cultum, & ad impetrandum à Deo veniam peccatori vel gratiam, media nostra cooperatione, & dispositione. Nec refert, quod hoc mysterium primario institutum sit sub ratione sacrificij: quia inde solum fit, non esse primario institutum ad efficiendum in nobis aliquid, sed ad colendum, & placandum Deum, & ad memoriã passionis Christi recolendam, & ideo non est necessesse, vt præcipuè effectus eius ex opere operato sit ei promissus, vt sacrificium est, sed quatenus sumitur vt sacramentum. Ad secundum responsum iam est, ex sacrificij infinitate nihil posse colligi, vt constat ex ipso sacrificio crucis, sed totã rem pendere ex institutione, & promissione Christi: cur autem huic sacrificio non fuerit promissus hic effectus, sicut sacramentis, iam plures congruẽtiæ & rationes sunt à nobis datæ, quamuis voluntas Christi pro ratione sufficiat. Sunt enim hæc remedia & causæ salutis nostræ diuersarũ rationum, & singule in suo ordine habent suam propriam perfectionem & excellentiam: & ideo necesse non est, vt, quod vni conuenit, conueniat etiam alteri, etiam si absolute perfectum sit: maxime, quia cum Eucharistiã sub vna ratione habeat promissionem gratiæ adiunctam, necesse non est, vt sub altera etiam ratione, scilicet, sacrificij, illam habeat, sed sub ea ratione habeat alium modum operandi, magis vniuersalem, quem non oportuit, quoad omnia esse infallibilem ex vi alicuius promissionis, sed solum per modum impetrationis. Neque obstat gradatio in argumento facta: cõcedo enim, sacrificium hoc habere infinitatem quandã in impetrando: quia de se habet infinitam dignitatem, ob quam Deo placeat, nihilominus tamen tota hæc infinitas sine speciali lege, aut promissione nõ sufficit ad infallibilem impetrationem, quia non infert necessitatem diuinæ voluntati, nec intrinsece includit voluntatem Christi efficacem circa talem effectum, vt supra declaratum est. Ad tertium responderetur, quoad effectum ex opere operato, idem dicendum esse de sacrificio à Christo oblato in cena, quia eiusdem rationis sunt, & quantum credi potest, eiusdem efficacitæ & virtutis ex vi institutionis, sicut baptesimus à Christo per seipsũ datus, vel per ministros, solũ est differentia, quod illa oblatio facta in cena, fuit infiniti meriti, & satisfactoris: nunc aut, prout in Missa fit, nõ est de nouo meritoria, vel satisfactoria, propter diuersum statũ Christi offerentis, vt superius dixi: sed hoc non refert ad effectum ex opere operato, de quo nũc agimus, nam etiam sacrificium Crucis fuit infinite meritorium & satisfactorium, & tamen non habet effectum vllum ex opere operato, proprie loquendo.

## SECTIO V.

*Vtrum sacrificium Missæ remittat peccata venialia ex opere operato.*

**I**N hac re vnum possumus ex superioribus tantquam certum sumere, scilicet, hoc sacrificium habere circa remissionem venialium, vt minimum totam efficaciam, quam habet ad remissionem mortalium, vt à fortiori ex dictis colligere licet: nam, si

hoc sacrificium ob suam infinitam dignitatē potens est ad impetrandum peccatori auxilium, quo cōuertatur, multo magis erit potens ad impetrandam iusto remissionem venialium peccatorum. Item, quia hoc sacrificium sancte offertur propter hunc finem: ergo habet aliquam efficaciam ad illum: ergo saltem impetratiuam. Tandem, id constat ex doctrina Sanctorum, qui citantur, de Consecr. d. 2. c. Vtrum sub figura. c. Iteratur. c. Quid sit sanguis. Vbi dicitur hoc sacrificium quotidie offerri: quia quotidie peccamus: scilicet venialiter, nimirum, ut horum peccatorum veniam consequamur. Et Concil. Trident. cum simpliciter & indefinite dicit, sess. 22. c. 2. hoc sacrificium offerri pro fidelium vinorum peccatis, sine dubio venialia includit. Vnde paulo superius quasi exaggerando, & augendo dixit, per hoc sacrificium remitti peccata ingentia, supponens sine dubio multo magis remitti leuiora. Vnde etiam c. 1. dixerat, per hoc sacrificium applicari virtutem passionis Christi, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum: hæc autem maxime sunt venialia peccata. Itaque in hoc nulla est dubitandi ratio.

*Difficultatis punctus.*

*Aliquorum opinio.*

Illud vero inquirendum superest, an ex promissione Christi aliquid amplius habeat hoc sacrificium circa remissionem venialium, quam mortalium. Et in primis est dubium, an immediate & per se, illa deleat ex opere operato, ita ut sacrificium Missæ pro me oblatum, me etiam nihil cogitante, & sciente, remittat omnes veniales culpas absque vilo actu meo, quo illas formaliter, vel virtute detestetur, sed solum, quod obicem actualis, vel virtualis complacentiæ non ponam. Partem igitur affirmantem docuit Cano, nam in hoc sensu dicere videtur, hoc sacrificium delere venialia peccata ex opere operato, quam dicit, esse certissimam sententiam communi Ecclesiæ consensione, & Patrum ac Scholasticorum auctoritate probatam, neminem tamen in particulari referre; neque in antiquis Scriptoribus id ego inuenio ita expresse declaratum, quàmquam recentiores supra citati, præsertim Soto & Cordub. id sentire videantur. Fundamenta sunt: Primum, quia hoc sacrificium potissimum videtur institutum, ut pro viuus membris Christi offeratur, iuxta doctrinam Aug. & D. Thom. disp. præced. sect. 2. citatam: ergo maxime est institutum ad auferenda venialia peccata: hæc enim sola possunt in membris viuus & per charitatem Christo annexis. Secundum, quia ad conuenientem prouidentiam spectat, ut grauioribus morbis acriores medicinæ adhibeantur: pro leuioribus autem leuiora remedia sufficiant: ergo sufficit hoc remedium oblationis sacrificij, quod leue dicitur, non quia in se non sit grauissimum, atque dignissimum, sed quia respectu eius, pro quo offertur, nullum est grauamen, cum nullam poenitentiam, vel dispositionem, in illo requirat. Tertium, quia sacramentalia, ut aqua benedicta, delent venialia prædicto modo: ergo multo magis hoc sacrificium. Has rationes affert Cano, quæ habent suam probabilitatis speciem; tamen reuera non sufficient ad eam sententiam suadendam, nedum ad illum certitudinis gradum, quem ille significat: Nam duæ primæ procedunt per principia valde vniuersalia & cōmunia, vnde non efficaciter inferunt determinate hoc remedium esse ad hunc effectum institutum hoc peculiari modo. Tertia vero assumit antecedens, & incertum, & fortasse falsum: quia forte sacramentalia non delent venialia sine actu proprio ipsius hominis, ut dicitur in tomo sequente: & non efficaciter inferunt, alioqui idem inferri posset de quolibet opere, quod melius sit vsu sacramentalium: in his ergo, quæ ex institutione pendunt, inuolidum est argumentum à simili. Verum est prædictos auctores non satis explicare hanc remissionem venialium fieri per sacrificium sine actu ipsius hominis, sed solum a iure per se fieri ex vi sacrificij.

Secunda opinio negat, sacrificium hoc remitte-

re culpas veniales ex opere operato immediate & per se. Quæ opinio tribui solet Durando, dist. 11. quæst. 4. vbi tamen nihil expresse dicit. Indicat tamen Soto, dist. 11. quæst. 2. ar. 5. affirmat enim hoc sacrificium remittere poenas ex culpis mortalibus, aut venialibus relictas, non tamen culpas. Atque idem sentitur Lincolniensi lib. 4. Panopliæ cap. 51. & sequentibus. Albert. Phigiensis lib. 2. de Eccles. Hierar. cap. 5. & 6. Aiala de Actibus tradit. 3. par. confid. 5. Caiet. opusc. de celebratione Missæ, quæst. 2. Soto vtitur hac ratione. Per hoc sacrificium non datur gratia: ergo nec remittitur venialia peccata. Quæ collectio videtur valde inefficax, quia vt D. Thomas inferius docet, ad remissionem peccati venialis per se non requiritur infusio gratiæ. Sed potest in hunc modum declarari, quia, licet remissio poenæ fieri possit per solam extrinsecam condonationem, non tamen remissio culpæ, etiam venialis, sine infusione alicuius doni habitualis, vel actualis, quo tollatur illa macula, quæ veniale peccatum reliquit, & habet rationem habitualis culpæ: non enim potest fieri homo ex malo bonus, aut ex peccatore non peccator, sine aliqua sui mutatione, vel actuali vel habituali: sed hoc sacrificium per se non efficit in homine habituales mutationes: nullum enim habituale donum infundit: ergo non potest per se immediate delere peccatum veniale. Quæ ratio adeo efficacis aliquibus videtur, vt etiam de potentia absoluta parent id repugnare. Sed immerito, neque enim repugnat, Deum remittere veniale peccatum sine infusione habitualis gratiæ, & sine actu peccatoris: atque adeo sine physica mutatione illius, quia quæ priuationem alicuius doni includat, sed solum consistat in deordinatione quadam, quæ moraliter manere censetur per habitudinem ad actum præcedentem: potest etiam Deus illam tollere per mortalem condonationem, absque aliqua mutatione physica facta in peccatore. Et quidem, si aliqua mutatio esset necessaria, illa omnino esse deberet actualis, per actum, scilicet, peccatoris aliquo modo contrarium peccato veniali: neque habitualis sufficeret: nullum enim habituale donum, seu augmentum gratiæ habitualis repugnat formaliter veniali peccato: possunt enim esse simul ex natura rei: ergo talis physica mutatio per se non sufficit ad tollendum veniale peccatum: Ergo, si mutatio est necessaria, illa debet esse actualis; etenim oportebit talem esse, quæ repugnantiam formalem includat cum veniali culpa, alia sine causa dicitur necessaria: Cōstat autem, actualem mutationem necessariam non esse, sed cum infusione tantum gratiæ habitualis, vel augmenti eius posse remitti venialem culpam, vt etiam in superioribus visum est: nulla ergo physica mutatio simpliciter est necessaria ad hoc negotium, sed moraliter transigi potest per liberalem condonationem Dei, si transigi potest, vt huius sacrificij oblatione placatus Deus condonet venialia peccata immediate, ac sine infusione alicuius doni.

Sed quamquam hoc possibile sit, tamen, quod de facto id hæc, mihi est valde dubium: quia ille modus remittendi venialem culpam (quam suppono esse extrinsecam à reatu poenæ, alias nulla esset ratio, nisi per solam extrinsecam condonationem, licet de potentia absoluta possibilibus sit, tamen non videtur ita expedirens, & consentaneus rebus ipsis, vel (vt ita dicam) proportionatus naturis rerum. Nam hæc culpa reuera aliquo modo maculat animam, & minuit animi puritatem & perfectionem sanctitatis & amicitia: aliquo modo & ideo vt remittatur modo proportionato, oportet, vt anima aliquo modo periciatur per actum aliquem virtutis, repugnantem aliquo modo culpæ veniali: vel per aliquod augmentum sanctitatis, & amicitia: diuina, quæ etiam virtute includit repugnantiam cum peccato veniali. Denique nullo sufficiente medio coniac. promissim

Impetratio  
hoc sacrificii  
potest omnino  
suum remissio-  
nem non  
tam in in-  
fallibiliter  
semper im-  
petras.

nam esse huius sacrificio remissionem venialis peccati prædicto modo faciendam, & alioqui non est admodum consentanea rebus ipsis, & ideo probabile est: mihi videtur, non ita fieri. Tunc vero restabat vitiosius inquirendum, an hoc sacrificium remittat venialia peccata, saltim mediante aliquo actu ipsius peccatoris, ita tamen, ut tota remissio fiat ex opere operato: nam quod per modum impetrationis id conferre possit, certissimè constat ex dictis de peccato mortali, adiunctis his, quæ in principio huius sectionis notavimus; sed an illa impetratio sit infallibilis, eodem modo hic tractari potest, quo de peccato mortali: nam eadem sunt rationes dubitandi, eademque indicia in utramque partem. Et ideo eadem resolutio mihi sumenda videtur, scilicet, hanc impetrationem non esse prorsus infallibilem, quamvis verisimile sit, frequentius, quam in peccato mortali, accedere semper habere effectum, quia & culpa leuior est, & cum subiectum supponatur gratum magis est dispositum, & dignum, ut ei hoc beneficium impetretur. In quo etiam potest discerni cõstitutum inter eos, qui ad hoc sacrificium concurrunt ut offerentes, & eos, pro quibus tantum offertur, neque alium concursum vel habitudinem habent ad hoc sacrificium: nam de his posterioribus maxime procedunt omnia, quæ diximus, & rationes factæ. De offerentibus autem, si pro se offerant, hac intentione formali, vel virtuali, ut à Deo obtineant remissionem suorum peccatorum, verisimile mihi est, si sint in gratia, infallibiliter consequi remissionem omnium culparum venialium, nõ solum quia impetratio pro se ipsa ex se est certior & infallibilior, si ex parte impetrantis non sit impedimentum, sed etiam, quia huiusmodi offerens nõ omninõ caret actuali dispositione aliquo modo repugnante affectui venialis culpæ. Nã in primis, qui prædicta intentione offert, vult, & desiderat carere venialibus culpis, & dum offert propter hunc finem aliquo modo ostendit voluntatem suam esse efficacem, & aliquid præstat de se sufficiens, ad obtinendam à Deo remissionem venialium peccatorum: est ergo verisimile, illam semper consequi, non ex speciali promissione facta sacrificio, & ideo non proprie ex opere operato, sed veluti ex natura rei, supposita institutione talis sacrificij, & voluntate ac modo offerendi illud.

## SECTIO VI.

Utrum hoc sacrificium conferat ex opere operato remissionem peccati.

**E**ncharistia sacrificium ex opere operato aliquid temporali peccati remissionem. **D**icendum in primis est, hoc sacrificium remittere aliquam penam temporalem ex opere operato. Hæc est sententia omnium authorum, quos citavi in præcedentibus sectionibus, & expressè D. Tho. supra qu. 79. art. 5. ubi dicit, hoc sacrificium habere vim satisfactivam ex directa institutione sua. Sequiturque hæc assertio ex dictis in præcedentibus à sufficiente enumeratione: nam hoc sacrificium aliquid conferat ex opere operato, ut in prima sectione statuimus: Illud autem esse debet aliquid spirituale commodum, nam de temporali ut sic, id dici non potest, ut paulò inferius breviter explicabo: hoc autem spirituale commodum, non est positum (ut sic dicam) id est, per collationem alicuius boni habitualis, vel actualis, ut ostensum est: ergo debet esse in ablatione alicuius mali, & non culpæ, ut etiam est ostensum: ergo peenæ ex culpa relicta, quod intendimus. Deinde est hic effectus maxime accommodatus providentiæ, quam Christus de hominibus habuit, quia nullum sacramentum est per se primo institutum ad hunc effectum: nam, licet per Baptismum tollatur peena, tamen & illud est quasi consequenter, quatenus est annexa culpæ, & nõ est illa peena debita peccatis post Baptismum commissis: de qua sola nunc agimus, supponimus enim ex supra dictis, sacrificium hoc

non posse habere proprium effectum ex opere operato, nisi in baptizatis. Rursus sacramentum penitentiae per se quidem aufert peenam æternam, nõ tamen omnem temporalem, sed commutat æternam in temporalem maiorem, vel minorem iuxta dispositionem suscipientis: unde, si interdum nullam peenam relinquit: id est, quia perfectè remittit culpam propter perfectam dispositionem, non quia directè sit institutum ad tollendum reatum peenæ: habet tamen vim remittendi etiam peenam temporalem per sacramentalem satisfactionem: tamen id totum efficit, quatenus habet quandam annexionem cum culpa, & ad plenum & perfectum iudicium de illa pertinet, vindicare & curare illam. Reliqua etiam sacramenta suos proprios ac distinctos fines habent, præter remissionem peenæ: decuit ergo aliquid remedium directè ac per se esse institutum ad hunc effectum. Præterea fuit ad hoc accommodatum sacrificium: nam hic effectus non pertinet ad intrinsecam sanctitatem vel bonitatem hominis: propter quod convenienter fieri potest per solam extrinsecam conditionationem ac denominationem absque intrinseca hominis mutatione: sacrificium autem accommodatum est ad huiusmodi effectum, quia non solum operatur in offerentibus, sed etiam in his, pro quibus offertur & pro eis offerri potest, ipsis nihil operantibus, aut recipientibus. Et confirmatur, nam hæc de causa potest vnus homo satis facere pro alio, potestque mihi remitti peena per satisfactionem alienam, me nihil sciente: gratia verò aliena non ita potest mihi applicari.

Præterea afferri potest alia congruentia: quia Christus Dominus per sacrificium cruentum, secundum actum externum eius, potissimè operatus est nostram redemptionem per modum satisfactionis pro peenâ, & hoc videtur fuisse maxime proprium illius sacrificij: nam meritum & recompensatio iniuriæ Deo illata, per actus interiores potissimum facta fuerunt: Crucis verò dolores ad satisfaciendum pro penis fuerunt maxime accommodati: per hoc autem sacrificium in cruentum, quamvis omnes fructus illius sacrificij applicari possint aliquo modo, tamen secundum propriam causalitatem ex opere operato convenientissimè applicatur fructus ille, qui est proprius illius sacrificij, secundum visibilem & exteriorem passionem eius, ut, quod in illo fuerit quoad sufficientiam, in hoc sit secundum efficaciam: hæc igitur ratione merito institutum creditur hoc sacrificium ad applicandam Christi satisfactionem pro peenâ ex opere operato. Accedit præterea, quod hoc pertinet ad consummatam rationem sacrificij propitiatorij: qualem esse oportuit ac decuit in hoc sacrificio: dupliciter enim potest sacrificium propitiari pro peccatis: primo impetrando: secundo, operando, seu satisfaciendo: hoc ergo sacrificium, prout offertur in Christi persona, utramque rationem & perfectionem participare debet: & priori quidem modo, est propitiatorium pro culpa, ut dictum est, & pro peenâ etiam, ut statim dicam: posteriori autem modo non decuit esse propitiatorium pro culpa propter rationes supra allatas, & ideo debuit, saltim pro peenâ esse illo modo propitiatorium, & eodem sensu dicendum est satisfactorium, non quia per illud de nouo Christus satisfaciatur, sed quia applicet nobis aliquam satisfactionem suæ passionis, ut aliqua peenâ nobis remittatur. Atque hinc etiam fit, ut sicut hoc sacrificium semper sit impetratorium, ob dignitatem Christi offerentis: ita etiam semper sit satisfactorium independentè à sanctitate ministri proximi offerentis ob applicationem satisfactionis Christi ex opere operato. Tandem ex modo, quo hic effectus obtinetur, & ex personis etiam in quibus fit, rectè colligitur propriissimè esse ex opere operato, nam, ut sacrificium hoc conferat hunc effectum, non est necessaria specialis petitio, sed hoc ipso, quod sacrificium

crutum

ciū pro aliquo offertur, simpliciter applicatur illi hic effectus sine alia speciali intentione obtinendi illum. deinde datur hic effectus, etiam animabus defunctorum, nō omnium, sed baptizatorum; signum ergo est, hunc effectum dari ex opere operato.

*Obiectio.*

Sed contra: nam Concil. Trident. imitatum antiquos Patres nihil specialiter dicit de modo operandi hunc effectum, sed eodem generali modo de eo, & ceteris loquitur: ergo nō est, cur magis dicamus, hūc esse ex opere operato, quam alios, nec de illo poterit specialior Christi promissio ostendi, quam de reliquis. Respondetur, propterea non esse veritatem hanc de fide certam, sed tamen esse communem Theologorum sententiam, à qua discedere, magna esset temeritas; praesertim cum fundata videatur in cōmuni sensu Ecclesiae, & vrgentibus rationibus ac coniecturis. Concil. ergo Trident. vt supra dixi, generatim locutum est, quia noluit rem nō omnino certam, tanquā de fide statuere: nobis autē cum Theologis licet, generales sermones ad singulos effectus, iuxta vniuersi cuiusque exigentiā & rationem applicare, ex qualitate autem & modo huius effectus, & ex alijs signis & rationibus adductis, intelligimus in hoc effectū, esse specialem modum conferendi illum.

*Impetrare potest hoc sacrificium remissionem temporalis poenae.*

Dico secundo: Praeter effectum ex opere operato, etiam potest conferre hoc sacrificium per modum impetrationis ad alicuius poenae remissionem. Declaratur, quia, licet per hoc sacrificiū remittatur poena ex opere operato, non tamen semper tota, sed pro vniuersi cuiusque deuotione, vt dixit D. Thom. d. q. 79. art. 5. Vnde fit, vt si aliquis reatus poenae maneat post effectū ex opere operato, ad illius etiam veniam obtinendam possit hoc sacrificium offerre per modum impetrationis, quia cū hoc sacrificiū sit de se sufficiens ad quodlibet bonum impetrandum, etiam si ex speciali Christi promissione, vnum cōferat ex opere operato, nō amittit vim ad impetrandū aliud distinctum: ita ergo in praesenti accidit. Sed vterius obseruare oportet, hoc dupliciter intelligi posse, primo, vt remissio poenae immediatē impetretur: id est, nullo actu hominis mediante. Et, si hic modus verus est, in hoc conueniet cum effectū ex opere operato, qui etiam immediatē fit per modum solutionis ex satisfactionibus Christi, vt probant omnia adducta in praecedenti assertione, & planē sentit D. Thō. citato loco, constituens in hoc differentiam inter Eucharistiā vt sacramentum, & sacrificium: quod, vt sacramentum, non remittit immediatē poenam, sed vt sacrificium: solum ergo erit differentia, quod quando remissio est ex opere operato, est infallibilis in persona grata, quae verō est per impetrationem, non est infallibilis, etiam in iusto. Item illa fundatur in speciali lege & promissione: haec vero non, sed in ipsa natura & dignitate talis sacrificij, adiuncta speciali petitione, & intentione offerentis, quae ad remissionem ex opere operato necessaria non est. Alio tamen modo intelligi potest, quod haec remissio fiat solum mediata, quatenus hoc sacrificiū nobis impetrat spirituales vires ad agenda opera poenitentiae, quibus Deo satisfaciamus. Ex his autē duobus modis hic posterior indubitanus mihi videtur, vt à fortiori probari potest ex omnibus dictis de remissione culpae, nā si hoc sacrificiū impetrat auxilium gratiae ad efficiendos actus, per quos culpae remittantur, multo magis impetrabit ad satisfaciendum pro poenis. Item, quia est in hoc genere impetrandi veluti vniuersalis causa, per quam omnes fructus passionis Christi percipi possunt, vnus autem ex his fructibus est, quodlibet opus, quo Deo satisfaciamus.

*Dubium.*

Prior autem modus valde dubius est, & generalē dubitationem continet, an talis modus remittendi poenam per gratuitam, & liberalem remissionem, absque alio medio seu opere satisfactorio ex opere operantis, vel ex opere operato, possit rationabiliter à Deo peti, & impetrari, quae tractanda nobis latius

est in sequenti tomo, in materia de satisfactione & de suffragijs. Nunc pars affirmans videtur fieri probabilis huius coniecturis. Prima, quia Ecclesia orat & petit à Deo remissionem harum poenarum, non solum pro viuis, sed etiam pro defunctis: Ergo signum est, non petere solum remissionem mediata, (vt sic dicam) id est, actum, per quem nos satisfaciamus, vt nobis fiat remissio, quia in animabus purgatorij nulla esse potest satisfactio per proprium actu earum; ergo petitur immediata & liberalem remissio poenae, & ad impetrandum, quod petitur, adiungitur orationis sacrificium, & in hunc finem offertur: ergo potest hoc modo impetrare remissionem poenae. Dices huiusmodi rationem esse satisfactoriam, cuiusque satisfactio non possit applicari defunctis, atque ita non postulari à Deo, vt sine vlla satisfactioe remittatur poenam, sed vt acceptet ipsiusmet orationis satisfactioem in remissionem poenae, vel certe, effectus sacrificij, vel aliorum bonorum operum satisfactio, pro anima purgatorij acceptetur. Sed in primis haec fuga non habet locum in oratione, quae solum petitur, à Deo venia, seu liberatio animae exiistentis in purgatorio: nam illa oratio non habet (vt sic dicam) scriptam pro obiecto: prius enim quam intelligamus illam orationem esse satisfactoriam, intelligimus aliquod per illam peti: nō ergo petitur, vt satisfactio eius applicetur, sed absolute, vt venia condonetur. Deinde, quid dicitur de orationibus, quibus beati orant pro animabus purgatorij, quibus liberationem earum impetrant, cum tamen eorum oratio satisfactoria non sit? Et idem argumentum fieri potest de orationibus, quae in persona Ecclesiae ad eius ministris fiunt, quae, vt sic magis sunt impetratoriae, quam satisfactoriae. Praeterea est moralis coniectura non contentenda, nam haec remissio poenae, per se non confert sanctitatem, vel virtutem animae, sed (vt ita dicam) ad quoddam commodum naturae pertinet, vnde quodammodo dici potest temporalis beneficium, seu extrinsecum, sed alia beneficia extrinseca & temporalia immediatē impetrari possunt: ergo & hoc. Vnde facile soluitur obiectio, si quis dicat, non esse impetrandum à Deo effectum gratiae, nisi per media co-operantanea & proportionata, quia ideo dicebamus supra, non esse petendam remissionem peccati mortalis, nisi per contritionem, vel sacramentum, neque augmentum gratiae, nisi per actum meritorium, vel per sacramentum: ergo similiter non est hic petenda remissio poenae, nisi per satisfactionem, vel propriam, vel alienam, applicatam ex opere operantis, vel ex opere operato. Responderi enim potest primo, non esse eandem rationem de hoc beneficio extrinseco, & de intrinseca sanctitate, ad quam oportet, vt homo aliquo modo cooperetur, vel augendo, vel recipiendo, iuxta capacitatem suam. Vnde secundo dicitur potest, ipsamet orationem esse vnum ex medijs ordinatis à Deo ad applicandam satisfactionem Christi ad hunc effectum: quamuis enim possuletur à Deo remissio huius poenae liberalem & gratuita, respectu nostri, semper tamen intelligitur, vt fiat cum iusta recompensatione, respectu Christi, applicandose satisfactionem eius. Est ergo pia & probabilis haec opinio, quia supposita consequenter dicendum est, hoc modo remissionem poenae per hoc sacrificium impetrari: quidquid enim per orationem impetrabile est, potest per hoc sacrificium impetrari, semper enim offerri potest, vt quaelibet iusta oratio etiam diatur, dabitque illi efficaciam, atque impetrandi virtutem.

SECTIO VII.

*Virum sacrificium Missae ad bona temporalia conferat, & quo modo.*

**H**actenus dictum est de spiritualibus bonis, superest, vt de temporalibus pauca adiciamus. De

De his enim etiam dubitari potest, an per hoc sacrificium ex opere operato conferantur, quia bona haec non sunt extra latitudinem eorum effectuum, quae per Christum ex opere operato conferuntur: nam salus corporis per sacramentum Extremae unctiois ex opere operato confertur; & aliunde sacrificium hoc etiam pro his bonis obtinendis offerri potest: Ergo poterit illa conferre ex opere operato. In contrarium vero est, quia haec bona per se considerata, non sunt talia, quae digna sint infallibiliter obtineri a Deo, sed ad summum, ut necessaria, vel vtilia ad aliquod spirituale bonum: ergo nec priori modo sunt ex opere operato per hoc sacrificium, propter rationem dictam: negetiam posteriori, quia nullum spirituale bonum datur ex opere operato per hoc sacrificium, ad quod necessaria sunt haec bona temporalia: Solum enim datur ex opere operato remissio peccati, ad quam nil referre possunt temporalia bona.

*Vt inique  
difficultatis  
ratio.*

*Honorum  
temporalium  
conferentia,  
sacrificij esse  
potest esse.*

*Tertul.  
Euseb.  
Chrysost.*

*Impetratio  
tantum boni  
temporalis  
per hoc  
sacrificium  
consequi  
possunt.*

*Ratio ad  
oblationem.*

In hac re dicendum in primis est, haec bona temporalia posse aliquo modo esse effectus huius sacrificij. Hoc certissimum est: nam omne bonum, pro quo obtinendo hoc sacrificium offertur, potest aliquo modo esse effectus illius, ut l'ep' dictum est, quia talis iniuriter & imprudenter offerretur in eum finem: sed Ecclesia sepe consuevit offerre hoc sacrificium pro temporalibus beneficijs obtinendis: ergo possunt haec bona esse effectus huius sacrificij. Minor patet, tum ex antiquis liturgijs, & ex ritu missae, quae nunc servat Romana Ecclesia, ubi inter alia offerimus; (pro nostra; & totius mundi salute): quo modo etiam Tertul. lib. ad Scapul. dixit, (pro salute offerri); Eusebius autem li. 4. de Vit. Constant. c. 45. dixit, (offerri pro communi pace.) Chrysost. hom. 67. in Ioan. 18. & 21. in Acta, (pro terra fructibus), & pro alijs necessitatibus, ut significat August. lib. 22. de Ciuit. cap. 28. & clarius tradidit Trid. sess. 22. c. & Can. 7. Alijs ad hanc rem comprobanda adduximus, disputa. praec. tractando de personis, pro quibus offerri potest hoc sacrificium.

Secundo dicendum est, sacrificium hoc non praestare haec beneficia ex opere operato, sed per modum tantum impetrationis. Priorem partem conuincit, ut existimo, ratio dubitandi in principio posita posteriori loco, cui adiungi possunt omnia adducta sect. 7. 4. & 5. nam hoc a fortiori probant: neque auctorem aliquem haecenus legi, qui effectum hunc per modum operis operati declarauerit. Posterior ergo pars sequitur a sufficienti partium enumeratione. Cuius ratio est, quia impetratio orationis se extendit ad bona temporalia, ut D. Thom. docet 2. 2. qu. 83. art. 15. & 16. ergo etiam impetratio huius sacrificij: nam omnis iusta oratio potest hoc sacrificio iuari.

Vnde facile soluitur obiectio, si quis dicat, cum Christus, qui est res infinita, in hoc sacrificio offeratur, indecens videri, illud ordinare ad res caducas & temporales obtinendas. Respondetur enim non esse indecens, tum, quia non primario, sed secundario ad hoc ordinatur, cum primario sit propter cultum Dei, tum etiam, quia ordinatur vt causa ad effectum suum: sic autem res nobilior potest ad minus nobilem ordinari: causa namque esse non debet effectui ignobiliori: tum denique, quia haec bona non propter se, sed quantenus ad pietatem vtilia sunt, expetuntur: vnde fit, vt tota haec impetratio, vel formaliter, vel virtute, in Dei gloria, quam Christus maxime intendit, referatur, quod significauit Paul. I. ad Timot. na, cum praecipisset, fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus; & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quieram & tranquillam vitam agamus: Quibus verbis (vt supra cum Chryl. & alijs exposuimus) Ecclesiasticum ritum offerendi hoc sacrificium, & pro quibus personis, & pro qua re offerendum sit, declarat, subdit deinde, Vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate: hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult sal-

uos fieri, & in agnitionem veritatis venire: explicat ergo, haec bona ad pietatem ordinari, prout per hoc sacrificium expetuntur, & obtinentur, sub qua consideratione dici possunt spiritualia, habitudine & relatione: vnde ita impetrari possunt, sicut alia spiritualia auxilia, quae non ex opere operato, sed per modum impetrationis per hoc sacrificium comparantur: idem ergo de his temporalibus bonis dicendum est.

SECTIO VIII.

*Vtrum hoc sacrificium habeat aliquem effectum ex opere operato in omnibus offerentibus ipsum.*

Diximus de omnibus effectibus huius sacrificij, & de modis, quibus per illud conferitur: nunc sequitur declarandum, quibus personis tribuat huiusmodi fructum. Sunt autem hoc loco diligenter distinguenda duae personae, seu duae rationes, aut habitudines personarum ad hoc sacrificium, scilicet, offerentis, & eius, pro quo offertur: nam haec duae rationes interdum personaliter separantur: potest enim aliquis esse offerens, & nullo modo pro se offerre, sed totum fructum sacrificij alteri applicare: & e converso potest aliquis nullo modo offerre, & tamen pro ipso sacrificium offerri: quare, licet contingat in eadem persona vtramque coniungi, rationes tamen ipsae distinctae manent: & ideo sigillatim videndum est, quid singulis sub proprijs rationibus respondeat. In praesenti ergo non inquirimus, cui detur fructus sacrificij: hoc enim pendet ex dicendis sectione sequenti: sed inquirimus, cuius oblationi respondeat talis fructus, siue illi dandus sit, siue alteri. Intelligitur autem questio de effectu ex opere operato: nam de impetratione non est dubium, quin omnis offerens, eo modo, quo offert, possit impetrare, quantum est ex parte oblationis suae, quia de se est actio dignissima & apta ad impetrandum: distinguendi ergo sunt varij offerentes iuxta supra tractata disp. praeced. Et offerentis possunt nunc ad quatuor capita reuocari. Primus offerens est Christus Dominus. Secundus dicit potest etiam variis Ecclesia, cuius nomine etiam offertur, sub qua alio modo modo comprehenduntur omnia membra eius. Tertius offerens est Sacerdos, qui vt minister, & in persona Christi offert. In quarto denique ordine sunt omnes alij, qui specialiter concurrunt cum Sacerdote sacrificium offerendum, & de singulis breuiter est dicendum.

*Et offerentis  
hoc sacrificij  
est variis  
ordo.*

*Circa primam  
questionem  
habetur opinio  
improbatur.*

*Christi oblationem  
vt priorem  
esse vnum terminum  
vnius animi  
motus, est  
arbitrium  
fructus ab eo,  
qui sacerdos  
est ministro,  
non respondet.*

Primo igitur de Christo Domino, Secutus quod dicitur 20. significat, oblationi huius sacrificij, vt a Christo est, respondere quandam peculiarem fructum ex opere operato, & aliqui addunt, ipsummet Christum propria & peculiari intentione applicare fructum illi, cui vult. Haec tamen, aut vera non sunt, aut maiori indigent explanatione: Haec enim Christi oblatio dupliciter considerari potest. Primo, vt est eadem omnino cum oblatione Sacerdotis, qui non offert, nisi, vt est ipse Christus equivalenter seu representatiue: & hoc modo verum est dictum illud, non est distinctus a fructu, qui respondet oblationi Sacerdotis, vt sic, sicut neque oblatio distincta est: nec Sacerdos & Christus sub hac consideratione sunt duo, sed vnum ad vnum modum, quo Aristoteles dixit, imaginem & rem representatam esse vnum terminum vnius animi motus. Item in ministerio sacramentorum non est alius effectus, qui respondet Sacerdoti ministranti, & Christo per illum operati, quamuis Christus sit, qui baptizat, qui absoluit, &c. Sic ergo in praesenti idem est fructus oblationis, vt est a Christo, & vt est a Sacerdote, de quo infra dicam. Hic autem fructus non applicatur per intentionem Christi proxime & immediate, sed per intentionem ministri, cui ipse hoc commisit, vt infra dicemus. Aliter potest oblatio Christi considerari, vt est in caelo actualis ac personalis

nalis per proprium actum interam ipsius Christi, quomodo distincta est ab oblatione, quae fit per Sacerdotem, & hoc modo, quantum illa actio impetrativa sit, sicut & Christi oratio existentis in caelo, non tamen illi responderet aliquis fructus ex opere operato: Nullus enim Theologorum hoc docuit, imo vix faciunt mentionem huius modi offerendi, nec Scotus existimo illud sensit. Ratio autem est, quia illa oblatio Christi, neque nunc est de nouo satisfactiva, quia non est Christus in statu satisfaciendi, ut satisfaciendi, ut saepe dictum est, neque etiam est applicativa ex opere operato praecedens satisfactionis Christi: quia secundum legem ordinariam Christus non applicat ex opere operato fructum passionis suae, nisi per sensibilia signa, qualia sunt sacramenta, & sacrificium sensibile in persona eius oblatum, omitto privilegium Martyrij, & si quod aliud est huiusmodi. Item, quia alias pari ratione dici posset, oblationem internam, qua Christus in caelo, vel in Eucharistia existens, offert & representat Deo passionem suam esse applicativam ex opere operato meritorum & satisfactionum Christi, & pro eius arbitrio huic, vel illi applicari, prout ipse vult: Consequens autem est absurdum & ridiculum: nam, postquam Christus pro nobis plene meruit & satisfecit, applicationem illius fructus, reliquit, ut ex opere operantis fieret per actus, & dispositiones ipsius hominis divina gratia praesenti & adiuti: ex opere autem operato per Ecclesiam & ministros suos iuxta illud, (Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & disceptatores mysteriorum Dei.) Ideo enim Sacerdotes instituit, cum maxima potestate ligandi, solvendi, offerendi, &c. Nullus ergo specialis fructus ex opere operato respondet huic oblationi, ut est a Christo, qui distinctus sit a fructu, qui respondet ceteris offerentibus, & Sacerdoti, & ministro eius:

*Circa secundam quaestionem aliquorum plerumque*

Secundo, de Ecclesia & membris eius, quatenus sunt offerentes remotissimi, solum in habitu, & extrinseca denominatione, ut supra declaravi: multi recentiores censent, illis omnibus & singulis eorum respondere aliquam partem fructus ex opere operato: id est, consequi ex opere operato remissionem alicuius poenae per omnia & singula sacrificia hoc solo, quod dicuntur offerre, quatenus sunt membra Ecclesiae offerentis per Sacerdotes, etiam neque ipsi vllum actum habeant circa sacrificium, nec Sacerdos speciali intentione eis applicet sacrificij fructum. Ratio esse potest, quia oblatio huius sacrificij est fructuosa ex opere operato: ergo omnis offerens, eo modo, quo offert esse particeps huius fructus: magis tamen vel minus pro ratione & modo offerendi, sed isti omnes aliquo modo offerunt, cum omnes sint offerentes: ergo omnes participant fructum ex opere operato. Atque haec opinio sic exposita solet tribui Seoto, loco citato, & eam indicant Scotus, & alij infra citandi. Sed licet haec sententia speciem quandam pietatis praese ferat: mihi tamen, nec vera, neque admodum verisimilis videtur. Primum enim auctores citari, neque illam expresse declarant, nec videntur in eo sensu locuti: sed in alio tractatu, sectione sequente. Deinde non habet solidum fundamentum: quia sola denominatio offerentium per quandam remotam & extrinsecam habitudinem, non videtur esse satis ad percipiendum fructum ex opere operato. Vnde argumentor ratione, quia fructus passionis Christi non applicatur ex opere operato, nisi vel per propriam aliquam actionem, vel receptionem sensibilem, vel per specialem applicationem alterius, sed in praesenti non datur hic fructus per specialem applicationem alterius, ut supponitur, neque etiam hic offerentes aliquid recipiunt, per quod eis talis fructus applicetur, ut per se notum est. Neque etiam aliquid agunt, quia tantum habitu, vel extrinsece denominantur offerentes: unde illa denominatio non fundatur in aliquo actu hominis, qui per se pertinet ad cultum Dei, ut valere

*Fideles non offerentes per proprium actum, quibus nec per Sacerdotis intentionem huius sacrificij fructus applicatur, nihil ex opere operato consequuntur.*

possit ad meritum vel satisfactionem sic offerentis. Dices, quod Sacerdos offerat nomine Ecclesiae, sicut, ut illa oblatio sit impetrativa speciali modo, adeo, ut, quantum Sacerdos sit iniquus, nihilominus illa actio suam vim impetrandi retineat: ergo hoc etiam satis est, ut illa oblatio sit satisfactiva independenter a sanctitate ministrj, & consequenter, ut illa satisfactio sit ex opere operato; ergo illa satisfactio distribuenda erit inter Ecclesiae membra, & unicuique sua portio uncula eveniet. Respondetur: Si argumentum quidquam valet, non probat de applicatione satisfactionis Christi ex opere operato, de qua nos loquimur: sed probat de noua quadam satisfactio, qua in illo opere reperitur, ratione sanctitatis totius Ecclesiae, quam nullus habens possit in huiusmodi actione. Quapropter non exitum esse eandem rationem de impetratione, & de satisfactione: nam ad impetrandum sufficit sanctitas habitus totius Ecclesiae, ad quam respiciens Deus, quando nomine illius fit oratio, vel oblatio, ratione illius inclinatur ad concedendum id, quo petitur, in quo consistit impetrationis ratio, & ideo ad illam sufficit illa habitudo, vel denominatio extrinseca, quantum ipsa Ecclesia per se ipsam specialiter non orat. Sicut, quando a Deo petimus, ut nos exaudiat propter meritum alicuius Sancti, illa revera concurrunt ad impetrandum nobis, quia Deus ad illa respicit, etiam si Sanctus ille non orat pro nobis: & sicut in lege veteri orabant fideles, (Propter Abraham servum tuum, &c.) Quando fortasse Abraham pro eis non orabat, saltem illa oratione speciali, quia satis erat, quod sanctitas eius representaretur Deo, ad inclinandum ipsum: sic ergo nunc, quia Sacerdos orans in persona Ecclesiae, illius sanctitatem Deo representat, etiam si ipse Sanctus non sit: ad satisfaciendum autem de nouo non sufficit haec representatio, sed necessaria est realis actio, vel passio alicuius personae gratiae Deo: de qua differentia inter impetrationem & satisfactionem plura infra dicturi sumus. Nullus ergo fructus satisfactionis respondet ex opere operato his offerentibus. Si quis autem contendat illum modum offerendi sufficere ad aliquem fructum ex opere operato, de illo philosophari debet, ad illum non applicare omnia, quae nos in quarto membro dicemus.

Tertio, quod pertinet ad oblationem Sacerdotis, ut sic, certum est, illi, prout offertur in persona Christi, respondere ex opere operato aliquem proprium fructum huius sacrificij, ut Dicitur Thomas sententiarum praedictarum q. 99. art. 5. & 7. & reliqui Theologi citati & citandi. Ratio est, quia hoc sacrificium habet effectum ex opere operato, ut ostensum est: ergo maxime responderet illi, ut est actio ministrj a Christo deputati, & per quem Christus ipse operatur. Sectio ita fit in actionibus omnium sacramentorum: ergo & in oblatione huius sacrificij: nam haec etiam est instrumentalis actio ad fructum Christi applicandum. Tertio, quia hic est effectus sacrificij, ut sic: sed oblatio Sacerdotis, ut fit ab eo representante personam Christi, est proprie actuale sacrificium, seu sacrificatio ipsa: ergo illi maxime responderet fructus ex opere operato, quia ut sic oblatio est proprie sacrificialis, in suo genere infinita, semperque munda & grata Deo. Tandem sub hac ratione haec oblatio est maxime impetrativa: ergo sub eadem est operativa ex opere operato: nam eadem est ratio utriusque modi cauendi, idemque est omnino sacrificium, quod utramque vim habet.

Quarto de ceteris privatis offerentibus, qui per proprium aliquem concurrunt habent ad oblationem ad hoc sacrificij cum Sacerdote, seu per ipsum, dicendum est, sentio, omnibus ac singulis respondere proprium aliquem fructum ex opere operato. Ita ut, si collatur aliquem fructum ex opere operato, vel ministrantem sacrificio Missae, cui Sacerdos intentione sua specialiter fructum sacrificij ex opere operato applicet, de ha-

Caietan.  
Syluest.  
D. Thom.

de huiusmodi homine pie ac probabiliter credimus, non sequi proprium fructum suum ex opere operato. Quod videtur sensisse Caiet. tom. 2. Opuscul. tract. 3. quaest. 2. Syluest. verbo, Missa 1. quaest. 9. & alij infra referendi, & D. Thomas non nihil fauet, dicta questione 79. art. 5. ubi ait oblationem huius sacrificij esse satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus. Sic etiam recte exponuntur illa verba, Can. Missae. Pro quibus tibi offerimus, vel, qui tibi offertur, ubi aperte sermo est de offerentibus, distinctis ab ipso Sacerdote, ut patet ex antecedentibus verbis. Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel, qui tibi offertur. Neque sine causa illa duo membra distinguuntur, sed (ut videtur) quia illa duae habitudines seu rationes, praesumptae per se singulae sufficiunt ad percipiendum aliquem fructum sacrificij ex opere operato. Accedit praeterea ratio in secundo puncto tacta, quia oblatio huius sacrificij est fructuosa ex opere operato: ergo rationi consentaneum est, ut omnes, qui ad illam vere concurrunt per proprium actum, seu concursum morale, participant huiusmodi fructum talis oblationis. Secundo amplius ita explicatur, quia ex huiusmodi concursu plurium offerentium cum ministro resultat, quasi vnum morale offerens cum maiori deuotione, reuerentia & dignitate; ergo responderi illi maior fructus ex opere operato, ceteris paribus: nam iuxta doctrinam Diui Thomae supra, hic fructus definitur iuxta deuotionem offerentium: ergo hac ratione respondet singulis offerentibus, ut tales sunt, aliqua pars illius fructus, iuxta vniuersumque deuotionem. Tertio, sicut usus sacramenti consistit in receptione, ita ratio sacrificij in oblatione: sed omnes, qui recipiunt sacramentum, participant fructum eius: ergo similiter omnes offerentes per proprium aliquem concursum, vel actionem, participant fructum sacrificij. Tandem Christus potuit hoc modo instituire huius sacrificij efficacitatem, & est valde consentanea dignitati eius, & hominibus conueniens, & saltem spe fructus, vniuersumque deuote offerre studeat iuxta capacitatem suam: Ergo credendum est, ita instituisse. Et confirmatur, nam inconueniens esset, quod audiens Missam non plus fructus accipiat ex opere operato ex Missa, quam ille, qui non audit, si Sacerdotis applicatio erga vtrumque equalis est: & alioquin in huiusmodi effectu, nullum est inconueniens, nec aliquod contra illum obijci potest, quod difficultatem ingerat: tur ergo negandus est.

Sacerdoti offerenti duplex fructus ex opere operato sacrificij respondet. Quia vniuersus.

Etiamsi priuato offerenti duplex Sacerdoti ex opere operato.

rato: dat ergo alteri fructum communem (ut sic dicam) ipse vero fruatur suo peculiari fructu, respondente sua priuata oblationi ac deuotioni: Neque aliquid vnquam dixit, teneri Sacerdotem ad applicandum hunc proprium fructum Sacerdoti stipendium: imo Scotus significat, id fieri non posse, de quo postea dicam. Et iuxta hunc duplicem fructum intelligi ac conciliari possunt varia dicta Doctorum, quae postea commemorabimus.

re operato  
respondet  
fructus.

Sed quares, quomodo inter se differant hi duo effectus, siue in vna Sacerdotis persona, siue in illa & alijs considerentur. Respondetur, plures intercedere differentias notatu dignas. Prima est, quod fructus qui respondet oblationi sacrificij, ut in persona Christi a Sacerdote offertur, non est principaliter propter ipsum, sed propter populum, seu alios, pro quibus potest sacrificium offerri: quia tunc Sacerdos gerit personam publicam, & est intercessor inter Deum & populum: at vero alius priuatus fructus praecipue est propter singulos offerentes, quia non offerunt, ut publici ministri, sed ut priuatae personae, & ideo illis datum est, ut sua priuata oblatione aliquid ex sacrificio haurire possint. Et hinc ulterius certum est, priorem fructum posse alijs applicari, & quoad hoc commissum esse ipsi Sacerdoti tanquam ministro, de posteriori autem fructu res est dubia, quia ex institutione id non sequitur, sed aliunde inuestigandum est, ut videbimus.

Differentia aliquot inter fructum publico ministro sacrificij respondentem & priuatis oblationibus. Prima.

Secunda differentia est, quia prior fructus de se est indifferens, & quasi vniuersalis, & ideo soli Sacerdoti Christi ministro, potestas est data, ut huic vel illi applicet illum. In quo et est obiter notanda differentia, inter sacramenta & sacrificium, nam sacramenta per se ordinantur ad sanctificationem recipientium, & ideo, sicut per actionem applicatur ad operandum, ita per eandem receptionem determinantur ad agendum in hac persona & in alia; & ideo hoc iam non potest ab intentione, vel applicatione ministri, sed tantum remotè, in quantum necesse est, ut velit huic dare sacramentum, & hoc ipsum explicatur in formis sacramentorum, Baptismo te, Absoluo te, &c. Ratio autem sacrificij consistit in oblatione facta Deo: vnde intrinsece determinat, cui sit offerendum, non tamen pro quo sit offerendum, & ideo necesse est, ut aliunde determinetur. Quamdiu igitur consideratur oblatio, ut est à Christo per sacerdotem ipsum representantem, adhuc est indifferens, & vniuersalis, tam ex parte eius, cui sit oblatio, quia ei pro quibuscumque offerri potest: quam ex parte rei oblatae, ob eandem rationem: tum etiam ex parte offerentis, qui etiam est publicus & communis, tum denique ex parte eorum, pro quibus offerri potest, quia de se ad nullum est determinata: fructus ergo, qui oblationi sic conceptae respondet, indifferens est, donec per aliquem huic potius, quam illi applicetur, quod in nulli potest dicitur potest esse positum, praeterquam ipsius ministri. Nec vero dicitur potest determinari ex se ad ipsum Sacerdotem offerentem, sicut determinatur effectus sacramenti ad suscipientem, quia, ut diximus, hic fructus non est principaliter propter ipsum, sed propter alios, inter quos & Deum, ipse est Mediator. Item, quia in eo non concurrunt ipse, ut talis persona, sed ut representans personam Christi: non ergo limitatur ad ipsum, sed communis est & indifferens. Et quoad hoc, recte intelligitur differentia, quam Diuus Thomas supra posuit inter sacramentum, & sacrificium, quod illud operatur tantum in suscipiente: sacrificium vero etiam in alijs, pro quibus offerri potest: hoc enim maxime verum est, quoad hunc fructum. At vero alius posterior fructus, qui priuatis offerentibus respondet ex se, & absque alia applicatione, & vniuersumque offerentis, quia hic fructus principaliter est propter ipsum, qui in ea oblatione non gerit personam publicam, sed propriam & priuata, & ideo ut sibi pro-

Secunda.

Differentia inter sacramenta & sacrificium.

M m m  
lit

si sua oblatio, non est necessaria intentio Sacerdotis pro tali persona specialiter offerētis, sed solum quod ipsa cum Sacerdote, & per Sacerdotem offerat, & q̄ Sacerdos, vt publicus minister, nomine eius offerat, vt superius declarātū est. Quin potius hinc fit, vt huiusmodi offerens excludi nullo modo possit à participatione huius fructus, etiam si Sacerdos velit, aut tēret eum excludere, dummodo ille maneat offerēs, & non excludatur à concursu seu communicatione in tali sacrificio. Adde etiam, ad obtinendum huiusmodi fructum non esse necessariam in tali offerente specialem intentionem consequēdi illum: sufficit. n. intentio offerendi seu concurrēdi ad sacrificium ministrando, vel audiendo Missam, vel alio simili modo: quia per hoc satis determinatur talis fructus ad talem offerentem, nisi fortasse ipse velit illum alteri applicare, de quo postea dicam.

Torines  
D. Thom.  
Soto.

Tertia differentia est, quia ad priorem fructū non est necessaria sanctitas Sacerdotis, vt docet D. Thom. supra q. 82. art. 6. & in 4. dist. 45. q. 2. art. 1. quaest. iunc. 3. & Soto, dist. 13. art. 1. & omnes. Et hoc confirmari potest ex multis, quae referuntur i. qu. 1. cap. Non nocet. c. Intra Cath. & de Consecratione, dist. 7. cap. Vtrum sub figura. Ratio etiam est ex dictis manifesta, quia Sacerdos, quoad hoc, nō gerit personam suam, sed Christi, & ideo, sicut haec ratio oblatio est grata & munda, ita etiam est efficax: quia nō applicat meritum eius, sed Christi. Accedit congruentia, quia, cū hic fructus non sit propter personam Sacerdotis vt talis est, sed propter Ecclesiam, ideo non debuit pendere ex sanctitate eius. Hac enim de causa institutum est, quod sacramēta aequē per malos ministros, ac per bonos pericerentur & sanctificarent alios. Et confirmatur, quia alias Missa Sacerdotis peccatoris oblata pro anima purgatorij, nihil illi prodesse. Itē sequeretur, Sacerdotem recepto stipendio sacrificantem in peccato mortali non satisfacere suae obligationi, sed teneri iterū in gratia satisfacere, quae sunt absurda. Dices, ergo etiam si Sacerdos sit haereticus, & ab Ecclesia preclusus, sacrificium offerat, illi, quantum est ex se, respondebit praedictus effectus, & si alicui per talem Sacerdotem applicetur, ei proderit, si non habeat obicem. Respondeo, concedendo totum, quia reuerita est, neq̄ habet maius inconueniens, quam sit in fructu sacramenti. At vero alter fructus, qui respondet priuato offerenti, requirit in illo gratiam & sanctitatem, vt eo frui possit. Quod quidem duplici ex capite, puenire potest: primo ex incapacitate Subiecti, quā passiuē considerati, quia nimirū is, qui est in peccato mortali est incapax omnis fructus passionis Christi ex opere operato, & hoc modo est res clara & mihi certa, vt inf. latius dicam. Secundo potest hoc prouenire ex indispositione offerentis, vt sic, q̄ est difficilium, quia licet priori ratione huiusmodi offerens sit incapax perceptionis talis fructus in eo statu, nihilominus intelligi possit, illius oblationi respondere suum fructum, quia, cum ille sit ex opere operato, non videtur pendere ex sanctitate sic offerentis, quia non fundatur in merito eius: ergo erit illa oblatio semper de se fructuosa, ita vt quāuis tunc sit mortificata (vt sic dicam) postea, ablato obice, possit reuiuiscere, vel si tunc alteri applicaretur, seu donaretur ille fructus, in quo non esset obex, in illo haberet effectum. Sed, quamquam ob hanc rationem res videatur dubia, tamen, cum in hac oblatione priuata persona non operetur, vt minister Christi, sed solum concurrat, vt priuata persona verisimile satis est, requiri sanctitatem eius, vt tali oblationi respondeat proprius fructus ex opere operato: quia, licet talis fructus non fundetur in merito eius, & ideo non requiratur gratia, vt principium merendi, nihilominus requiri potest, vt dispositio necessaria in tali offerente. Et confirmatur, nam, vt sacramenti susceptio sit fructuosa ex opere operato, requirit

sanctitatem in suscipiente. Ergo & haec oblatio in offerente. Item hic fructus primario est propter huiusmodi offerentem: ergo merito ab eo exigitur dispositio oō digna sacrificio, vt sit ei oblatio talis fructuosa, & ideo etiam, vt statim dicam, quo dispositio fuerit melior, eo hic fructus erit maior. Tandem, quod dicebatur de reuiuiscencia talis fructus, si semel non acquiritur, frivolum est, sine fundamento, vel aliqua necessitate dictum. Quod vero dicebatur, posse talem fructum donari alteri, incertum est, etiam in priuato offerente sancto & iusto, & ideo simpliciter loquendo, verius videtur, absolute talem oblationem esse infructuosam ex opere operato, quocūq̄ extra gratiam sit.

Quarta differentia similis praedicti est, quod prior fructus respondens sacrificio secundum se non est maior vel minor, propter maiorem, vel minorem sanctitatem ministri, vt sumitur ex Diuo Thoma dist. 13. quaest. 2. articulo 6. Soto, Corduba, & alij. Quamquam Scot. in 4. distinctio. 13. quaest. 2. ad tertium, & Gabriel lect. 26. in Cano. oppositum sentiat, qui consequenter loquuntur, quoniam eodem modo opinari sunt de ministris sacramentorum. Nos autem contraria ratione vitmur, quia effectus sacramentorum ex opere operato nō augetur, nec minuitur ob ministerii sanctitatem maiorem vel minorem: ergo nec effectus sacrificij. Patet consequentia, quia etiam datur ex opere operato, & in eo non consideratur dignitas personae, sed officium ministri: nam in tantum operatur, in quantum est Christi minister. Item, quia, si hic effectus augetur ob maiorem sanctitatem ministri: ergo minueretur ob minorem: ergo omnino tolleretur ob carētiā sanctitatis ministri: ergo conuerso, si non pōtē effectus ex sanctitate ministri, neque etiam variabitur ob quātitatem eius. Demirationes factae in praecedente differentia, haec ita probant. Vnde quando Alexander Papa in cap. Ipsi Sacerdotes, i. quaest. 1. dicit: Sacerdotes, quo sanctiores sunt, eo magis prodesse fidelibus, per sua sacramēta, intelligendus est: quoad imperationem, & meritū de congruo ex opere operantis: non vero quoad effectum ex opere operato, vt supra D. Tho. exponit, & in 4. distinctio. 13. quaestione 1. art. 5. vbi Bonaventura, Paludanus & ceteri idem tradunt. At vero fructus posterior, qui respondet priuatis offerentibus, eo maior est, quo ipsi meliori affectu & dispositione offerūt. Ita sumitur ex Diuo Thoma dicta quaest. 7. articulo 5. & 7. in hac quaestione 83. articulo quarto, ad octauum. Et probatur contraria ratione sumpta ex praecedente differentia: nam, vt sacrificium sit hoc modo fructuosum, necessaria est bona dispositio offerentis: ergo quo haec dispositio fuerit melior, eo erit sacrificium fructuosius, quoad hūc effectum. Patet consequentia, tum ex regula optica, sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, tum à simili ex sacramentis, in quibus melior dispositio concludit ad meliorem effectum ex opere operato, tum ex coniecturis superius adductis de sacramentis: est enim hic modus institutionis conuenientior, quia in hoc modo offerendi, vnusquisque offert, vt priuata persona, iuxta propriam deuotionem: & ita respondet illi proprius, & particularis fructus: ergo conueniens fuit, vt, quo quis deuotius offert, eo maiorem fructum accipiat, nam & talis oblatio Deo acceptior est, & hoc modo excitantur omnes ad deuotius & religiosius offerendum. Queres, in quo ponenda sit haec maior deuotio, vel dispositio melior. Responderetur, ex multis principijs posse desumi. Primo ex maiori sanctitate, ceteris paribus, ex meliori actu interiori, aut propter feruentiorem affectum, praesertim charitatis, vt Diuus Thomas dixit, aut quia ex meliori motiuo, magisque ad Deum cultum pertinente sit oblatio. Denique in actione etiam

etiam exteriori potest reperiri differentia; nam quo aliquis magis concurrat, seu ministrat in sacrificio, eo etiam censetur deuotius offerre, quod semper intelligendum est, ceteris paribus: nam, vt absolute fiat comparatio, omnia pensanda sunt, vt illa censetur dignior oblatio, quae pensatis omnibus circumstantijs, moraliter fuerit maioris valoris apud Deum.

SECTIO IX.

Vtrum hoc sacrificium habeat effectum ex opere operato in his, pro quibus offertur, non ponentibus obicem.

Cui à sacerdoti fructus sacrificij ex opere operato applicatur non ponentibus obicem infallibiliter conferuntur.

**H**æc quaestio tractari potest de fructu respondenti ipsi sacrificio secundum se, vt est à ministro in persona Christi offerente: vel de fructu, qui respondet vnicuique priuato offerenti. Circa primum, vnum certum ex dictis, nonnulla vero hic dubitari possunt. Certum (inquam) est sacrificium hoc dare suum effectum ex opere operato, ei, pro quo à Sacerdote offertur, & talis fructus applicatur, etiam si ille, pro quo fit oblatio, nullo modo offerat, dummodo obicis impedimentum non ponat. Hæc assertio est communis omnium, & fere probata in sectione præcedente. Potest tamen adhuc in hunc modum explicari, quia hic effectus, cum fit ex opere operato, alicui infallibiliter dandus est, si non ponat obicem: nam hæc est de ratione effectus ex opere operato; sed ille, cui dandus est hic effectus, non est determinatus à Christo institutione sua, neque nunc determinatus per voluntatem eius, vt existentis in caelo: ergo non potest esse alius, nisi ille, quem Sacerdos offerens sua intentione determinauerit, seu pro quo obtulerit, aut cui hunc effectum applicauerit: hæc enim omnia in idem recidunt: Consequenter tenet à sufficiente partium enumeratione. Minor sic declaratur, quia varijs modis intelligi potest facta institutio. Primus est vt hic fructus necessario maneat in ministro offerente, & hoc modo facta non est, vt constat ex vsu Ecclesiae, qui est, vt, pro alijs offeratur, & ex communi ratione sacrificij publici, seu oblatis à Sacerdote, vt publico ministro Christi, cuius officium est, vt pro peccatoribus offerat, & ex alijs, præcedente sect. adductis. Secundus modus institutionis intelligi posset, quod hic fructus sit totius Ecclesiae, & distribuat inter membra eius, iuxta capacitatem vel indigentiam vniuersusque ex se, & ex vi institutionis absque illa noua applicatione. Quod videtur sensisse præpositus, & alij antiqui, qui, vt D. Thom. & alij Theologi referunt in 4. distinct. 45. dixerunt, hoc sacrificium non magis prodesse his, pro quibus offertur, quam ceteris, hoc tamen est contra communem Ecclesiae sensum, & ideo hæc opinio à Diuo Thoma, & ceteris Theologis reiecta est: Omnes enim pro certo habemus, hoc sacrificium magis prodesse ei, pro quo specialiter offertur, quod tamen esse non posset, si distributio effectus ex vi institutionis esset determinata, independeret ab applicatione offerentis. Et confirmatur: nam alias sequitur sacerdotem offerendo vnum sacrificium pro multis, æque satisfacere singulis, ac si pro vno tantum offerret, quia non propterea maiorem vel minorem fructum acciperet. Tertius modus institutionis intelligi posset, quod Christus hanc applicationem suæ voluntati & intentioni referauerit, vt videntur aliqui sensisse, qui, vt refert Scotus, quodlib. 20. dixerunt applicationem sacerdotis non valere, nisi concordet cum Christi voluntate & intentione, quod est dicere, temere & frustra fieri, quia non potest Sacerdoti constare de tali voluntate, vt ei concordet, & si Christi voluntas adest, ac necessaria est, illa sufficit, quidquid Sacerdos faciat frustra: ergo & temere applicat alicui sacrificium, hoc vero est contra sensum & traditionem Ecclesiae. Quare non debuit hoc pendere ex noua Christi voluntate hominibus incognita, sed aliqua certa

Franc. Suarez Tom. 3.

lex circa hoc statui debuit, vt possent homines humano more sacrificium offerre & applicare: sicut factum etiam est in sacramentorum effectibus: Solum ergo superest quartus modus institutionis, conueniens, rationalis, & Ecclesiae vsui consentaneus, scilicet, quod hic effectus detur illi, cui Sacerdos offerens tanquam dispensator mysteriorum Dei, illum applicauerit. Vnde hoc ipsum ius applicandi, quasi debitum erat officio Sacerdotis, quod est, intercedere inter Deum & homines, & consequenter offerre etiam Deo sacrificium pro hominibus. Quocirca, sicut in sacramentis requiritur intentio ministri, vt sacramentum fiat ab homine humano modo, ita in sacrificio requiritur intentio Sacerdotis applicantis fructum sacrificij, vt sic oblatio pro vno homine fiat per alium hominem humano modo. Vt autem hæc oblatio infallibiliter habeat effectum, semper intelligitur conditio, dummodo is, pro quo fit oblatio, non ponat obicem: nam hoc semper necessarium est ad quemlibet effectum ex opere operato.

Sed circa hoc inquiri potest primo, si intentio ministri iniqua sit, & contra iustitiam vel obedientiam, nihilominus sit efficax, vt detur effectus, verbi gratia, tenetur Sacerdos ex iustitia applicare sacrificium Petro, ratione stipendij accepti, & nihilominus applicant illud Paulo: hæc applicatio iniqua est, quia contra iustitiam: quærimus ergo, an nihilominus detur effectus? Paulo, vel potius Petro. Similiter iubet mihi Superior, vel Episcopus, vel Summus Pontifex, vt sacrificium offeram pro tali defuncto: ego autem pro me offero, quæritur, cui profit sacrificium. Quidam generatim docent in huiusmodi casibus, sacrificium operari, non iuxta voluntatem ministri, sed iuxta obligationem, id est, in eo, pro quo tenetur offerre, non pro quo offert. Ita significat Scotus quodlibeto 20. & Gabriel, lectione 26. in Canon. quamuis dubitatio dicant, fere ita esse. Ratio in primis esse potest, quia Christus non applicat fructum suum per iniuriosam actionem. Sed hæc ratio friuola est, quia licet Christus nolit iniuriosam actionem, permittit tamen illam, & illa existente bene vitur, & per eam interdum magna & supernaturalia beneficia confert, non ipsi peccanti, sed alijs. Vt videre licet in actionibus sacramentorum, nam licet minister conferat sacramentum per actionem iniuriosam, vel quantumuis iniquam, Deus per illam sanctificat hominem, si non ponat obicem: de qua re certam, & immutabilem legem statuit: sic ergo in præfenti, potuit generalem legem statuere, vt sacrificium operetur in eo, cui à Sacerdote applicatur, siue Sacerdos alias bene agat, siue inique. Videtur autem expediens, ita factum esse, vt Ecclesia aliquid certum & stabile haberet in hoc negotio.

h. Quæstio

Opinio Scoti & Gabrielis in improbat.

Præpositus

Alij nihilominus distinctione vtuntur, nam obligatio Sacerdotis ad offerendum pro aliquo potest oriri ex propria voluntate; seu priuato contractu, vt qui propria voluntate promissit, vel stipendium accepit, vel oriri potest ex voluntate Superioris. Quando est prioris modi, dicunt præsentem voluntatem præualere obligationi, quia cum illa obligatio orta sit ex voluntate, per posteriorem retractatur prior voluntas, quia, licet illa voluntas mala sit, tamen hoc ipso, quod est posterior & absoluta, est efficacior, & ideo, licet ille male faciat, alteri applicando sacrificium, tamen fructum tenet. Quado vero obligatio est posterioris rationis, dicunt, voluntatem superioris seu Ecclesiae vincere Sacerdotis voluntatem propriam: est enim efficacior, & ideo non potest (aut) per Sacerdotis voluntatem retractari, aut irritari. Vnde concludunt, non obstante tali voluntate Sacerdotis fructum sacrificij applicari ei, cui Superior vel Ecclesia vult. Ita fere Ledesma in 4. 2. part. quæst. 16. art. 14. circa finem, & Cord. li. 1. q. 3. opin. 6. qui existimat, hoc præcipue locum habere in Religiosis, quia nihil habent proprium, & ideo si Superior applicet eorum sacrificia,

Placitum Ledesma & Cordubara scilicet.

M m m m 2 appli-



Idem nec Ecclia sit.

Secundum, scilicet, quod, nec præcepto Ecclesie sit talis obligatio, eisdem fere rationibus cum proportionie applicatis ostendi potest, quia nullibi est scriptum tale præceptum Ecclesiasticum, nec ex Cā. Missæ colligi potest: ibi enim solum oratur pro omnibus in persona Ecclesie, & similiter generaliter offertur pro omnibus quoad impetrationem. Et idem sumi potest ex Conc. Cabil. II. cap. 39. & habetur de consecratio. distinct. 1. cap. (Vifum nobis est, vt in omnibus Missarum solemnibus defunctorum spiritus loco cōpetenti Dominus deprecetur: Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus, & pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Missarum solēnibus fundatur.) Ex quibus verbis potest sumi noua coniectura, quia non omnibus animabus purgatorij applicatur ex omnibus sacrificijs aliqua pars fructus ex opere operato: alias facillimō negotio omnes à purgatorio liberarentur. Imo etiam de viuīs idem fieri potest argumentum: præsertim de his, qui in statu gratiæ perdurant aliquamdiu: nam vix poterunt habere aliquem reatum pœnæ, si per omnes Missas aliquam remissionem pœnæ recipiūt. Deniq̄, vt Ecclesia possit hoc præcipere, deberet designare, quāta, vel quora pars effectus esset sic applicanda pro vniuersa Ecclesia: Hoc autem neq̄ fecit, neq̄ facile fingi potest. Nulla ergo est talis obligatio in Sacerdotibus, sed in eorum voluntate positum est, vt totum hunc fructū applicent, vel per specialem, vel per generalem intentionem, prout eis libuerit, vel licuerit. Non est enim in hoc aliquod vniuersale præceptum positum, sed vnusquisque operari debet iuxta suam propriam & peculiarem obligationē, vel, si nullam habuerint, iuxta prudens & honestum arbitrium. Igitur prædicta diuisio, vt in ea locum habeat aliquo modo ille fructus generalissimus, intelligenda est, vel de sola interpretatione, vel in communi & abstracte de fructu, siue in rigore ex opere operato, siue per modum impetrationis eueniat, nec fortasse Scot. & Gabr. aliud intenderunt, vt ex fundamentis & discursu eorū colligi potest: occasionem tamen errandi dederunt, quia interdum vocant hunc fructum ex opere operato, quia illa impetratio non fundatur in merito Sacerdotis offerentis, sed in sanctitate Ecclesie, & dignitate ipsiusmet sacrificij.

Tertio inquiri potest, quid, si Sacerdos nulli applicet hunc fructum, vel ei applicet, qui non indiget, vel non est capax? Soto, Cordub. & alij, censent in eis casibus & similib. seu quociescunq̄ applicatio non habet effectum, reponi in thesauro Ecclesie, vel (vt melius loquamur) manere in thesauro Ecclesie, quia fructus ille non est de toto comparatus, & à Deo acceptatus, sed est pars aliqua infiniti fructus passionis Christi, qui iam totus est in thesauro Ecclesie, & in acceptatione diuina, & ideo quando efficaciter non applicatur, manet quidem in thesauro Ecclesie, nihil tamen illi thesauro additur ex vi talis sacrificij, quod spectat ad fructum satisfactionis; de quo modo agimus, quia in illo sacrificio, vt in persona Christi fit, nulla est noua satisfactio, vt sæpe dixi. Sicut, quando Baptismus, vel aliud sacramentum priuatur suo effectu nihil noui reponitur in thesauro Ecclesie, sed solum impeditur, ne ex thesauro meritorum Christi aliquid cōferatur suscipienti sacramentum. Nisi quis fortasse velit distinguere thesaurum Ecclesie à merito & satisfactione Christi quoad sufficientiam, quatenus constat solum ex satisfactionib. Sanctorū, & alij, quæ speciali titulo iam sunt acquisitæ ipsi Ecclesie, inter quas annumeret hanc partem satisfactionis respondentem sacrificio ex opere operato: nam hoc ipso, quod Ecclesia per suum ministrum obtulit illud sacrificium, videtur acquisiuisse speciale ius ad illam satisfactionem, atque hac ratione dici posset,

Fr. Suarez. Tom. 3.

quando non applicatur alicui, specialit̄ reponi in thesauro Ecclesie. Quod probabiliter consideratum est, parum tamē refert, hoc vel illo modo loqui, nam res eadem est, nimirum, facta hypothesi, quod per nullam intentionem ministri formalem, vel virtualem ille fructus applicetur, sacrificium carere actuali effectu, quia non est sufficienter applicatum ad operandum. Adde tamen rarissime accidere posse casum, in quo Sacerdos nulli applicet hunc fructum: Nam ad hoc sufficit intentio formalis, vel virtualis: nam si ad conficiendum sacramentum, vel offerendum ipsum sacrificium Deo, sufficit virtualis intentio: multo magis sufficere ad applicandum fructum eius: Hæc autem virtualis intentio vix deesse potest, nam omnis Sacerdos, quando alteri non applicat sacrificium, saltem habet virtualement intentionem fructu illius. Applicat ergo sibi ipsi, vel, si aliquo titulo obligatus sit ad offerendum pro alio, etiam habet vnusquisque intentionem virtualement implendi obligationem suam, & similiter in eo casu, quo applicatur sacrificium ei, qui non indiget, vel non est capax fructus illius, vnusquisque habet intentionem, vt, vel ad se redeat, vel animabus purgatorij, aut alijs indigentibus, applicetur; Itaque, si sacerdotes mediocriter sint instructi, & aliquam diligentiam in sacrificando & offerendo adhibeant, vix eis prædictus casus eueniet. Quia vero impossibilis non est, statutus ita accidisse, nūquid poterit postea sacerdos applicare præteritum sacrificium? Non enim defuere, qui ita senserint, fortasse, quia sacerdos, offerendo sacrificium, acquisiuit ius, & fecit quodammodo suam illam satisfactionem, & ideo videtur semper manere in potestate illius applicare illam. Sed hoc difficile creditur est, alias posset Sacerdos etiam ex inlilituro, & directa intentione suspendere hunc effectum, & re-feruare illum, vt alio tempore fiat arbitrio suo, & consequenter, si ipse est in peccato, potest fructum seu applicationem eius suspendere, donec sit in gratia, vt possit, si velit, sibi applicare, & idem posset respectu alterius. Item, qui nō habet stipendium, posset dicere sacrum, & referuare applicationem, & postea accepto stipendio satisfacere applicando sacrificium prius oblatum ei, qui postea stipendium dedit: hæc autem & similia sunt inaudita in Ecclesia, & valde absurda, vt latius tractat Cordub. lib. 5. de indulgentijs, q. 42. Dicendum ergo est, quod sicut sacramentum solum est in potestate ministri pro tempore & momento, quo conficitur, & tunc habet effectum, qui non potest à ministro suspendi: ita sacrificium est sub potestate & int̄tione ministri, quamdiu offertur, & tunc debet applicari, & habere effectum, qui non debet suspendi arbitrio, vel incuria ministri, & ideo si hac de causa semel careat effectu, iam nō est in potestate ministri, applicare illud: quia non est institutum, vt operetur, nisi dum sit seu existit suo modo, & ideo Sacerdos nullum acquisiuit ius, vt applicet ad operandum sacrificium iam præteritum. Dices, quantum ad deprecationem potest aliquis applicate præterita sacrificia: Ergo, & quantum ad satisfactionem ex opere operato. Respondetur, negando consequentiam: nam quoad impetrationem ita potest applicari sacrificium, sicut præterita bona opera: manent enim in acceptatione diuina, & vt sic possunt iterum atque iterum Deo representari, vt propter illa nos exaudiat, & idem est de sacrificio, quia hic effectus, neque habet definitam quantitatem, nec certum tempus, nec specialem promissionem, aut institutionem, quæ omnia secus sunt in effectu ex opere operato. Vnde adde, quando applicatio fit ad impetrandum, non proprie fieri ad nouam effectum in eo ordine, nisi quatenus per nouam orationem & petitionem nouus effectus impetratur, & id quod in sacrificio vel bono opere præterito quodammodo iam erat in virtute & quoad

M m m m 3 suffi.

Si autem oblatum sacrificium ipsius fructus non applicetur reuocabis.

Cordub.

Obiactio respondetur.

Distributio effectum huiusmodi in specialissimum, specialem & generallissimum de impetratione in illi-genda.

Quæstio

Quæstio in opinio.



sufficienciam applicatur ad efficaciam mediante oratione. Non est ergo simile de impetratione & effectu ex opere operato.

Consecratiu.

Ex dictis colligo, si Sacerdos applicet sacrificium, referendo intentionem suam ad intentionem alterius hoc modo; applico hanc Missam, cui Petrus applicauerit, tunc, si alius tempore oblationis conditionem impleuerit, & sacrificium applicauerit, valida esse & sufficientem applicationem: si autem coniungat, alterum non applicauit alicui sacrificium, tunc carere effectu suo. Quia cum applicatio Sacerdotis fuerit, quasi conditionata, & non inuenit conditionem impletam, omnino inefficax redditur, sicut in consecrando sacramento per intentionem conditionatam, si conditio non est posita in re, quando materia & forma consummantur, nihil sit, quia talis intentio nihil ponit in esse & ideo inefficax redditur. Ita ergo est in praesenti propter eandem rationem, quamquam Cordub. lib. 1. quaest. 4. dub. 5. oppositum sentiat: dicens, iam Deo esse praesentem futuram voluntatem alterius, & ideo fructum sacrificij statim applicari illi, cui Deus praeuidet ab alio fore applicandum. Quod si Deus praeuideat nullam futuram applicationem alterius: tunc ait sacrificium frustrari suo effectu, sed certe primum illud non fuit ab illo satis animaduersum, alioqui pari ratione dicere posset, sacramentum datum sub conditione de futuro, si Petrus consenserit, statim esse validum, si Deus praeuidet, Petrum consensurum, quia iam respectu Dei intentio conditionata transit in absolutam. Item deberet idem dicere de hac applicatione; offero sacrificium pro eo cui crastina die applicuero: vel pro eo, qui daturus est mihi elemosynam, & de similibus, quae sunt praeter usum Ecclesiae, magnosque abusus parere possunt, si introducantur. Deus ergo, sicut nec punit, nec praemio afficit, nec ita confert effectus sacramentorum, aut sacrificij, ex his quae praeuidet futura, sed iuxta praesentem hominis intentionem & dispositionem: & ideo, si intentio, vt nunc est in homine, est conditionata, etiam quando conditio non est opposita absolute & secundum se est inefficax, & suspendit effectum, donec conditio re ipsa impleatur, ideoque nihil operatur, quicquid Deus praeuideat.

Dubium. scoti & Gabriel. opinio.

Superest dicendum de alia parte quaestionis, scilicet, de priuatis offerentibus, an si pro alijs offerant fructum suum, illis profit: nam Scot. & Gabriel supra, agentes de illo fructu Sacerdotis, quem vocant specialissimum, negant posse applicari alijs. Non videntur autem loqui de potestate simpliciter, sed vt licite, vel non licite fiat, nec loquuntur vniuersaliter sed cum limitatione, scilicet, quando ipse Sacerdos indiget tali fructu, quia esset contra ordinem charitatis alteri applicare: Haec enim ratio, ad summum probat, tunc non posse fieri licite: non vero, quod simpliciter non possit, aut quod factum non teneret: interdum enim potest homo peccare donando quod suum est, & quod nihilominus donatio sit valida. Vnde etiam illa ratio nullo modo procedit in his, qui non indigent, quia tunc nihil facient contra ordinem charitatis. Haec autem doctrina, si vera est, eadem ratione applicanda est caeteris priuatis offerentibus, quia, vt sic, Sacerdos se habet vt priuatus offerens, sicut supra diximus. Quamquam (vt verum fatear, & Ledesma prius intellexit) auctores praedicti solum loqui videntur de fructu ex opere operantis: tamen in illo etiam procedit eadem ratio in alijs priuatis offerentibus, quae in Sacerdote, vt per se constat: Quocumque autem modo illa doctrina intelligatur, siue de fructu ex opere operato, siue ex opere operantis, non recte probantur illa ratione Scoti. Quia hic fructus, de quo agimus, non est remissio alicuius culpa, neque gradus aliquis sanctitatis, gratiae, aut gloriae: sed est satisfactio, vel remissio alicuius poenae: in huiusmodi autem malis poenae,

non est contra charitatem propriam, quod aliquid cedat iuribus, priuando se tali commodo, vt alteri beneficiat. Et hoc confirmat usus omnium piorum: applicat enim satisfactioes suas pro animabus purgatorij, non quia existiment, se illis non indigere: Eset enim haec arrogans cogitatio, sed quia vel sperant alijs modis sibi interim prouideri posse, vel quia volunt alijs beneficare, etiam si aliquid amplius ipsi patiantur, vel certe, quia in hoc opio charitatis opere magis merentur & hoc bonum exultant merito & satisfactiois esse praefendum. Alijs igitur absolute videtur posse priuatos offerentes hunc fructum alijs donare: quia in hoc non peccant, vt declaratum est, & alioqui facultas eis non deest. Nam suo modo sunt domini illius satisfactiois: nam licet ex opere operato detur, tamen reuera fit tam propria, sicut illa, quae est ex opere operantis: Sicut ergo haec habere potest alteri dari, ita & illa.

Dices fortasse, solis Sacerdotibus, quatenus operatur, vt ministri Christi, datam esse potestatem applicandi alijs fructum oblationis suae, quia solum ministri Christi vt sic constituti sunt Dispensatores mysteriorum Dei, & ideo per solos illos potest conferri effectus ex opere operato. Sed contra, nam, cum Christus concesserit singulis fidelibus fructum aliquem ex opere operato, ratione oblationis eorum, vt ab ipsis est: vnde constat negasse illis potestatem applicandi alijs talem fructum: Quamquam enim demus talem fructum respectu alterius, non esse ex opere operato, esse tamen poterit per modum communicationis spiritualium bonorum: nam hi duo modi diuersi sunt: quando enim applicatio est simpliciter ex opere operato, non oportet, vt applicans sit in gratia, sicut antea de Sacerdote, vt sic diximus: quando vero applicatio est solum per modum communicationis, oportet vt iste qui applicat, sit in gratia: nam oportet, vt prius sibi acquirere possit, quod in alium transferat: vt autem acquirat tale ius, oportet, vt sit in statu gratiae. Et in hunc modum explicata haec opinio est probabilis.

Nihilominus cenfeo, contrarium esse probabile, scilicet non posse huiusmodi offerentes alijs applicare hunc fructum, quia in vniuersum cenfeo omnem effectum ex opere operato esse proprium & personale beneficium, & quasi privilegium personae concessum, quod non potest ipsa in alium transferre: de indulgentia dicit D. Thomas, in 4. dist. 20. art. 5. q. 3. ad 2. eum, cui conceditur, non posse fructum illum in alium transferre, nisi specialia facultate in ipsam indulgentiam concedatur: idem ergo est de effectu ex opere operato, qui specialiter concessus est in fauore talis personae, & hoc constat inductione in effectibus sacramentorum: datur. n. per Baptismum remissio totius poenae, neque est in potestate baptizati, aliqua parte eius se ipsum priuare, vt eum alteri applicet, vt supra tactum est. Idemque est in satisfactioe sacramentali, quae in confessione imponitur, vt suo loco dicemus. Idem ergo dicere debemus de hoc effectu sacrificij, quatenus personalis est: quia nulla est specialis ratio ad exceptionem faciendam, nec sufficienter aliqua auctoritate constare potest.

SECTIO X.

Quae sint necessaria in eo, pro quo sacrificium offertur, vt in eo habeat effectum ex opere operato.

Quid in offerentibus necessarium sit, iam supra diximus. In eo ergo, pro quo sacrificium offertur, quatuor desiderari possunt vt effectum ex opere operato consequatur, capacitas, status, dispositio, indigentia, & de singulis pauca dicenda sunt.

Primo igitur requiritur capacitas, quam Baptismus confert: nam sine caractere baptismali nullus est capax huius effectus, vt sentit D. Thom. Thom. q. 72. art. 7. d. Thom.

Augustin.  
Chrysostr.

art. 7. ad 2. cum August. de anima & eius origine, lib. 1. cap. 9. & idem sumitur ex Chrysostr. hom. 3. ad Philip. ubi dicit hoc sacrificium non posse offerri pro catechumeno defuncto, quod verum esse non potest, nisi quoad effectum ex opere operato: Nam quoad impetrationem etiam pro illo offerri potest. Et hoc sensu omnes Theologi censent, Baptismum, sicut est ianua ad alia sacramenta, ita etiam esse ad hoc sacrificium, scilicet, quoad effectum ex opere operato. Et hac etiam ratione specialiter offert Ecclesia pro fidelibus, per quos baptizatos intelligit: nã illi sunt proprie fideles in foro Ecclesie, qui per Baptismum fidem professi sunt, & hoc sensu intelliguntur illa verba Canonis; Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei: ita enim solet Baptismus signum, vel sigillum fidei appellari. Item sicut hoc sacrificium visibile est, ita visibile Ecclesie est datum, ut pro se, suisque membris illud offerat, eiusque ex opere operato profit, sed per Baptismum constituitur membra huius Ecclesie visibile: illi ergo tantum, qui baptizati sunt, sunt capaces huius effectus ex opere operato. Item, illi soli possunt esse participes huius mensæ: Prius enim generari debent, quam nutrirî, & reconciliari prius quam ad conuiuium amicorum admitti: ergo illi etiam soli sunt capaces fructus ex opere operato, ut sacrificium est. Pater consequentia, quia eadem mensa est altare: unde ad eosdem ordinatur sub veraque ratione. Neque est verisimile, Christum pluribus promississe effectum sacrificij, quam sacramenti. Neque aliqua probabili ratione vel autoritate potest in hoc differentia constitui. Eò vel maximè, quod iuxta antiquissimam Ecclesie consuetudinem, catechumeni non permittuntur ad esse mysterijs, ex quo incipit fieri oblatio sacrificij: semper ergo existimati sunt incapaces effectus huius sacrificij ex opere operato: aliàs cur prohiberentur ad esse, & cum alijs offerre? Atque hinc facile soluitur obiectio, si quis dicat, catechumenum esse posse membrum viuum Christi, & capax remissionis penæ. Respondetur enim, hoc non satis esse, ut eam possit consequi ex opere operato per hoc sacrificium: quia hoc remedium speciale, datum est Ecclesie, pro his, qui in CHRISTO sunt regenerati, sicut & cætera omnia, quæ habere possunt effectum ex opere operato.

Occurrunt  
scampulo.

Solus viator  
huius fructus  
ex opere operato  
capax est.  
Dubium.

Sito.  
Cano.  
Cordub.

Secundo requiritur status viatoris, nam, si iam sit in termino ultimo beatitudinis, vel damnationis, vel non indiget, vel frui non potest hoc fructu sacrificij, ut ex disput. 77. constat. Difficultas vero est de statu, quasi medio, scilicet, animarum purgatorij. Multi enim negant hoc sacrificium habere infallibiliter effectum in his animabus, ut Soto, dist. 13. q. 2. art. 1. Cano, lib. 12. de locis. 13. ad 9. Cordub. lib. 1. q. 3. opin. 4. Hinc autem necessario sequitur illum effectum non esse ex opere operato: quia talis effectus est infallibilis in eo, qui non ponit obicem, sed in animabus purgatorij non potest esse obex: ergo ex hoc capite non potest in eis impediri effectus: ergo si deficere interdum potest, solum est, quia non est ex opere operato. Ratio vero reddi potest, quia ille anima iam non sunt membra Ecclesie visibile: ergo nec sunt in situ, in quo possit ex opere operato prodesse sacrificium visibile, sicut nec visible sacramenta eis vitia esse possunt. Secundò, illæ animæ non sunt in statu satis faciendi, sed satis patiendi: ergo neque vlla satisfactio eis iam prodesse potest, saltem ex certa lege, & promissione. Tertio, propter hanc causam alia suffragia Ecclesie, & indulgentiæ non applicantur eis infallibiliter, sed per modum suffragij (ut aiunt) ut Deus de congruo acceptet & applicet illa, quod significat Augustinus libro de cura pro mort. agenda, capit. 1. & in Enchir. capit. 19. Ergo idem erit in præsentem: nam est eadem ratio, & quotiescunque Sancti loquuntur de oblatione huius sacrificij pro

defunctis explicant illam per modum deprecationis & suffragij.

Nihilominus contraria sententia, sicut magis pia, ita & probabilior est, itaq; cum dicimus, statum viatoris requiri ad hunc effectum, comprehendimus statum purgatorij: nam quatenus, qui illic sunt, ad vltimum terminum nondum peruenerunt, aliqua saltem ex parte viatores sunt, maxime quoad remissionem poenarum, vel etiam culpæ venialium obtinendam. Est autem hæc opinio expressa D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 3. ad 3. significat eam Albert. Mag. art. 2. ad 6. Durand. dist. 12. quæst. 4. multi recentiores, Petr. Soto, lect. 7. de Eucharist. Lindan. lib. 4. Panopl. c. 51. Ruard. art. 16. Hofius in Confess. c. 41. Aiala de tradit. part. 3. Bellarm. lib. 2. de purg. c. 8 qui generatim de suffragijs censet, infallibiliter applicari, quod etiam tenent Couarru. in cap. Alma mater, part. 1. §. 5. num. 11. & Nauar. in cap. in Leuit. notabil. 22. Ex hoc autem necessario consequitur, idem à fortiori dicendum esse de hoc sacrificio: nam, ut Concil. Trident. dicit, sess. 25. cap. 1. inter suffragia sacrificium Missæ maxime prodest defunctis: ergo, si alia profunt infallibiliter, hoc multo magis, vel quâuis alijs operibus hoc negetur, non esset negandum huic sacrificio, propter excellentiam eius. Accedit, quod Trident. sess. 22. c. 1. eodem modo dicit, sacrificium hoc offerri pro viuus & defunctis, & eodem modo loquuntur Cyril. Hierosol. catech. 5. mystag. & Chrysostr. homil. 68. ad populum. Multumq; fauet dictum eiusdem Chrysostr. homil. 3. ad Philippenfes quod sumi etiam potest ex August. lib. 1. de Origine animæ, cap. 9. hoc sacrificium non posse offerri pro Catechumenis defunctis, sicut potest pro baptizatis: nam, ut supra dicebam, hoc necessario intelligendum est quoad effectum ex opere operato: ergo operatur hoc modo in baptizatis iam defunctis; nã per modum impetrationis etiam in Catechumenis operari potest. Præterea in forma Sacerdotij aqualiter dicitur: (Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuus & defunctis.) Ergo verisimile est, hæc potestatem esse æque efficacem circa utroque. Ex his ergo omnibus sufficiens habemus fundamentum, ut credamus, Christum ita instituisse huius sacrificij efficaciam, in quo rota hæc res posita est, quia sine tali institutione certum est, non posse sacrificium per se habere hanc efficacitatem. Neque item est dubium, quin ex institutione Christi poterit illam habere. Neque etiam est vlla ratio, ob quam animæ purgatorij fuerint ab hoc effectu excludendæ, ut patebit facile ex responsionibus argumentorum.

In purgatorio anima deentes sunt capaces fructus ex opere operato huius sacrificij, ut pote quæ alio quatuor sint viatores.  
D. Thom.  
Alb Mag.  
Durand.  
Petr. Soto.  
Lindan.  
Ruard.  
Hofius.  
Aiala.  
Bellarm.  
Couarr.  
Nauar.  
Cano. Trid.  
Cyril. Hier.  
Chrysostr.  
August.

Ad primum enim respondetur, quod illæ animæ eo modo, quo viatores sunt, pertinent ad Ecclesiam militantem, nondum enim triumphant. Unde aliquo modo possunt ligari vel absolui, & cum eis habemus quandam spiritalium honorum communicationem: hoc ergo satis est, ut sint capaces effectus huius sacrificij ex opere operato, quod excellentiam legis gratiæ non parum commendat; habet enim remedia, quibus non solum viuentibus, sed etiam fidelibus defunctis indigentibus efficaciter subueniri possit. Unde non est similis ratio de sacramentis. Primò quidem propter diuersum finem, sacramenta enim ordinata sunt ad gratiam conferendam; sacrificium autem ad penas peccatorum tollendas; at vero animæ purgatorij non sunt capaces augmenti gratiæ; absolui autem possunt à reatu penæ. Deinde ratione modi efficiendi, seu applicandi effectum: nam sacramentum applicatur per aliquam actionem circa corpus, & ideo non operatur, nisi in anima vnita corpori; sacrificium vero operatur solum per quandam extrinsecam ordinationem seu relationem, quæ terminari potest ad animam etiam à corpore separatam.

Ad secundum negatur consequentia, nam, licet  
Mmum 4 animæ

animæ illa non sint in statu, in quo possint per se satisfacere, sunt tamē in statu, in quo possunt frui aliorum satisfactoribus, præsertim Christi.

Ad tertium iam dictum est, antecedens esse dubium, & consequentiam inuolidam.

Tertio requiritur dispositio; de qua non omnes eodem modo sentiunt: nam qui existimant, pœnam debitam ex prioribus peccatis remisissis, posse in statu peccati mortalis remitti, consequenter dicunt, id posse fieri per oblationem huius sacrificij. Vnde fit, iuxta opinionem hanc, nullam dispositionem requiri ad hunc effectum in eo, pro quo sacrificium offertur: nam etiam si sit in peccato mortali habituali, consequetur illum: idem autem erit dicendum, etiam si sit in peccato actuali: quia, si in dignitas personæ non obest, actuale peccatum non addit specialem repugnantiam. Ita sentit in generali, Nauarrus cum Soto, & alij in cap. 1. num. 45. de Pœnitentia, dist. 6. & in speciali de hoc sacrificio libro de Oratione, capite 19. numero 73. Nihilominus tamen dicendum est, ut hoc sacrificium efficaciter operetur, postulare in eo, pro quo offertur, gratiam gratum facientem, ut necessariam dispositionem. Ita D. Thomas, quaestione 79. articulo 7. ad secundum, & omnes discipuli eius. Generale fundamentum est, quia is, qui est in peccato mortali, non est capax satisfactionis pro pœna temporali: imo nec satisfactionis. Quod fundamentum in sequenti tomo ex professo tractandum est: nunc satis est dicere, hæc esse beneficia amicorum, neque esse rationem ullam, ob quam ad inimicos extendantur.

Tria vero super sunt circa hoc declaranda. Primum est, an præter dispositionem gratiæ habitualis requiratur aliqua alia (supposito etiam charactere baptizati in eo, qui recepturus est hunc effectum. Respondeo, nullam aliam dispositionem requiri. Probatur, quia, vel illa est habitualis, vel actualis. Non primum, ut per se constat, quia cum gratia habituali comprehendimus omnes virtutes & dona, quæ illam comitantur, præter quæ nihil habituale ad salutem requiritur: Nec etiam secundum, quia non est necessaria actualis deuotio, neque aliquis bonus affectus, quia etiam ad effectum sacramenti, hoc non est per se necessarium: ergo multo minus erit ad hunc effectum: imo nec actualis aliqua consideratio necessaria est: nam etiam si contingat, alium nihil scire, nec cogitare de oblatione sacrificij pro ipso facta, vel etiam si sit dormiens, quando illi applicatur effectus, dabitur illi, si in gratia sit. Sic etiam contingit in communicatione satisfactionis ex opere operantis: nam, si ego applico alteri satisfactionem meam, ipso nihil sciente, reuera Deus illam acceptat, & remittit alteri pœnam. Ratio autem huius est fumenda ex modo, quo hic effectus applicatur; non enim fit per aliquam actionem recipientis, sed solum per intentionem, & quasi extrinsecam donationem alterius. Item, quia hæc dispositio, neque est necessaria ex parte sacrificij (nam ille, pro quo fit oblatio, nullo modo ad sacrificium concurrat) neque etiam ex parte ipsius effectus, quia, cum sit sola remissio pœnæ, non requirit specialem preparationem ex parte hominis. Dices saltem requirere consensum eius, & voluntatem accipiendi tale beneficium. Respondetur, sufficere virtutalem & imperatiuam, quæ nulli deest: vnusquisque enim cupit à pœnis liberari, & libenter hoc beneficium remissionis acceptat, sicut enim pœna est veluti intrinseca, seu ex natura sua inuoluntaria; ita è contrario remissio pœnæ voluntaria censetur, saltem virtualiter & implicite, & hoc satis est ad hunc effectum. Vnde ulterius addo, non requiri etiam carentiam omnis actualis peccati venialis: nam etiam ille, qui actu est peccans venialiter potest consequi hunc effectum, quia non habet oppositionem cum illo, respectu pœnæ relictae ex alia culpa remissa: non vero respectu pœnæ

*Præter habitualem gratiam, nullam necessariam dispositionem ad percipiendum fructum Eucharistici sacrificij ex opere operato.*

quæ debetur propter culpam ipsam, quæ actu committitur, nam illa non potest ante culpam remitti, & ideo respectu illius dici potest obex talis culpa: non vero, respectu alterius, quia, sicut potest vna culpa venialis sine alia tolli, ita multo magis potest tolli pœna relicta ex prioribus peccatis sine veniali culpa: secus vero est de peccato mortali actuali, quia hoc secum non compatitur habitualem gratiam.

Secundo inquiri potest, an hic effectus sit maior cæteris paribus, in eo, qui melius est per gratiam dispositus, vel per maiorem deuotionem. D. Thomas enim dicta quaest. 79. art. 5. absolute dicit, hanc oblationem esse satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ deuotionis, & ita etiam sentiunt Soto libr. 8. de Iustitia, q. 2. art. 2. & Syluest. verb. Miss. q. 9. Ratio esse potest, quia, si dispositio requiritur ad effectum: ergo & melior dispositio conducit ad meliorem effectum. Ita enim supra de offerentibus argumentabamur, & de sacramentis, eorumque effectibus eodem modo ratiocinari sumus. Et generale principium est, quia causa perfectius operatur in Subiecto melius disposito.

Nihilominus censeo, non esse fumendam ex hoc capite quantitatem seu variationem huius effectus. Ita tenet Caietanus Tomo tertio, Opuscul. tractatu tertio, quaestione secunda, & idem sentit Durandus in 2. distinctione 45. quaest. 3. num. 7. & 8. & D. Thomas ibi, quaest. 2. art. 3. quaestiuicula 1. dicit, suffragium, quod alicui prodest ex applicatione alterius, totum pendere ex intentione applicantis, ita, ut remoto impedimento, tantum applicetur, quantum ipse vult. Ex quibus verbis (quæ verissima sunt) fumenda est in presenti ratio: nam hic effectus, respectu eius, pro quo offertur, fit, totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis: Ergo tantus est, quantum esse vult applicans. Neque in hoc pendet ex dispositione alterius, nisi quoad hoc solum, ut obex non ponatur. Vnde, quoad hoc non est eadem ratio de offerentibus fit, quia effectus illis respondens, non pendet solum ex intentione alterius, neque extrinsecus (ut sic dicam) ab illa provenit, sed in propria actione & oblatione fundatur, quam melior dispositio facit moraliter meliorem, & acceptiorem Deo. Atque eadem ratio differentia est de effectibus sacramentorum, quia non pendet in actione sua ex intentione alterius, sed veluti naturaliter agunt iuxta dispositionem suscipientis. Denique non est simile de alijs causis, quæ per se agunt iuxta dispositionem passi: nam in presenti hæc casualitas solum est moralis per modum cuiusdam annotationis, quæ tanta est, quantum vultis, qui donat, neque aliud ex parte recipientis requirit, nisi capacitatem absque impedimento. Vnde potest retorqueri argumentum: nam quando dispositio solum requiritur, ut remouens prohibens, nihil ad effectum refert, quod dispositio sit maior vel minor, dummodo quælibet illarum totum impedimentum auferat: sic autem est in presenti: nam qualibet gratia, etiam minima, auferat totum impedimentum immicitia diuinæ, & ad hoc solum necessaria est, ut satis constat ex dictis. Ostendimus enim, actualem dispositionem per se hic non concurrere: quia neque effectus est talis, ut illam postulat, nec modus recipiendi illum, quia non est per aliquem contentum ipsius recipientis: maior autem, vel minor intensio gratiæ habitualis, etiam est impertinens ad hunc effectum, ut Soto ipse faceret: quia quicumque est in gratia, est capax remissionis pœnæ, neque aliquid amplius ad hoc confert maior intensio gratiæ.

Præterea declaratur res tota in hunc modum, quia effectus respondens oblationi Sacerdotis venialis determinatus est ex institutione, semperque est in suo omnino

omnino equalis, quia non habet, unde varietur, cum non pendeat ex dispositione Sacerdotis, neque ex illa augeatur, vel minuatur, ut supra ostensum est. Rursus hic effectus applicatur, ut diximus, per intentionem Sacerdotis, quia in hoc est libera, per se loquendo, & potest totum effectum applicare, cui voluerit. Unde, si totum applicet Petro, ille consequetur totum, etiam si sit minus sanctus, quam reliqui omnes: si vero applicet Petro & Paulo, & velit aequaliter inter eos dividere, etiam si illi sint inaequaliter sancti, quia in hac applicatione Sacerdos habet liberam potestatem: ergo effectus sacrificij non variatur ex varia dispositione eorum, pro quibus offertur. Quod si interdum velit Sacerdos, ut effectus distribuatur inter plures, iuxta eorum dignitatem in genere gratiae, tunc ita quidem fiet, non tamen ex vi inaequalis dispositionis, sed ex vi intentionis & voluntatis applicantis. Sicut contingit in applicatione satisfactionis ex opere operatis, quae datur, vel distribuitur iuxta voluntatem applicantis, dummodo alij sint capaces, id est, non sint in mortali peccato. Quod autem sint magis, vel minus sancti, nihil refert ad hunc effectum, qui per se pendet solum ex donatione alterius. Ad rationes igitur in contrarium iam responsum est: D. Thomas autem, cum disfunctione loquitur, possit sufficienter de offerentibus intelligi, vel, si de vtrisque conueniat, sed cum proportione, nam in offerentibus praerogantur talis dispositio ratione oblationis: In his vero, pro quibus offertur, solum quantum necessaria esse potest ad remouendum impedimentum.

Quasi.

Tercio inquiri potest, an hic effectus detur, recedente fictione, quando per obicem fuit impeditus. Nauarr. enim supra docet, si hoc sacrificium offeratur pro homine existente in peccato mortali, qui non habeat reatum alterius poenae temporalis, quae postea ita remittitur (ut ipse putat) postea, remissa illa culpa mortali, remitti ratione sacrificij praerogantur poenam aliquam temporalem, cuius reatus alioqui maneret, post remissionem culpam. Sed hanc sententiam ex ultimo falsam. Primo, quia nullum habet fundamentum, & alioqui non est rationi consentaneum, ut ei, qui in peccato mortali perdurat, iam sit, quantum est ex parte acceptationis diuinae remissa poena temporalis, tali peccato debita, veluti sub ea conditione: si aliquando talis culpa veniam consequatur. Secundo, quia supra dixi, sola illa sacramenta habere effectum, recedente fictione, quae iterari non possunt, & ideo habent necessitatem aliquam, sed hoc sacrificium iterari facillime potest, & nulla est necessitas huiusmodi priuilegij: ergo non est gratia, & sine fundamento asserendum in fauorem hominis, qui in suo peccato perdurat. Tertio, quia hoc sacrificium oblatum pro iusto tunc non indigente satisfactione non acceptatur, & quasi conseruatur illi, ut quin postea indiguerit, recipiat fructum illius, ut iam dicam: ergo multo minus acceptabitur illo modo respectu peccatoris. Non igitur redit postea hic effectus, sed manet in thesauro Ecclesiae, ut supra declaratum est.

Cui applicatur et alio fructus, dum obicem illi opponatur, et iterum non nihil illius conuenitur.

Quam rationem temporalem poena non tenet, et huiusmodi non respondet.

Quarto requiritur indigentia ad hunc effectum sacrificij ex opere operato, id est, ut is, pro quo offertur, habeat aliquem reatum poenae temporalis relictum ex culpa remissa, nam, si culpa nondum est remissa, ut iam dictum est, illam impedire remissionem poenae propter ipsam culpam: si autem est plene facta remissio, quoad totum reatum poenae nihil superest per hoc sacrificium agendum. Sicut in naturalibus, ut agens agat postquam, necesse est supponat aliquam priuationem, & ut agat priuatiue, id est, expellendo, necesse est, ut supponat aliquid formae in Subiecto, quia si tota est expulsa, nihil illi superest agendum. Et ob hanc rationem, nihil potuit hoc sa-

cificium ex opere operato conferre Beatissima Virgini: & idem est de quocumque iusto pro eo tempore (si tamen aliquod est) in quo nullum habet reatum temporalis poenae. Sed quae potest, an in eo casu maneat talis fructus in acceptatione diuina applicatus tali iusto, ut, quando postea illo indiguerit, eo fruatur. Respondetur, minime ita applicari seu acceptari: non est enim conueniens providentiae modus, ut ante commissam culpam, sit iam veluti satisfactum pro poena, alias quodammodo posset postea impune peccare, nec culpa postea commissa facere proprie dignum poenae, quia inueniret iam solutam. Item, si quis recipiat sacramentum Penitentiae cum tali modo & dispositione, ut de se sufficiat ad tollendum reatum poenae ut centum, & in tali homine non sit nisi reatus poenae, ut quinquaginta, non propterea reseruatur in posterum ille effectus, ut ex peccatis postea committendis veluti compleatur. Similiter in satisfactionibus ex opere operantis, si quis iustus eo die, quo nihil debet, actus Penitentiae faciat, non reseruatur illi talis satisfactio pro peccatis, quae postea committit: ergo multo minus id fiet in effectu huius sacrificij. Unde in eo casu dicunt aliqui sacrificium quidem non operari in eo, qui non indiget: neque etiam effectum eius manere suspensum, aut prorsus amitti, sed dari alijs qui indigent, ex diuina pietate, & mutua hominum charitate. Ita Diuus Thomas in 4. distinct. 45. seu in additionibus, quaest. 71. articulo 14. ad 3.

Addendum vero est, necessariam esse applicationem seu intentionem offerentis, ita ut ipsemet velit, ut si Petrus, pro quo sacrificium offert, illo non indiget, fructus eius applicetur alijs indigentibus, siue in particulari eos designet, siue tantum in communi: nam, si hoc non faciat, & intentio eius sitat in sola illa persona, quae non indiget, fructus sacrificij non manet applicatus, & ideo nulli dabitur, sed in thesauro Ecclesiae manebit, iuxta principia posita. Quapropter prudens consilium est, semper habere praedictam intentionem: imo hic est optimus modus offerendi pro aliquo sacrificium, secunda intentio, ne, ut vocant.

SECTIO XI.

Vtrum effectus huius sacrificij sit infinitus in sensu.

Hæc quaestio est celebris & valde controuersa, quamuis sine causa, ut opinor. Sunt ergo duae oppositae sententiae. Prima affirmat, hunc effectum esse infinitum in sensu. Hanc tenet Caietanus supra, quaestione 79. articulo 5. ubi hoc sensu dicit, v-  
Opinio Caietani  
 nam Missam esse valoris infiniti, & ideo ex sui quantitate sufficere ad satisfaciendum pro poenis omnium peccatorum, tam viuorum quam mortuorum. idem tenet idem Caietanus Tomo 2. Opusculi tractatu 3. quaestione secunda, Syluester, verbo, Missa, Syluest. prima, quaestione 9. Viguerius in institut. capit. 16. figur. §. 2. Cano, libro 12. de locis, capit. 13. ad 10. Ruardus articulo 16. §. 2. inclinatur Soto, in 4. distinctioe 11. Ruard. quaestione 2. articulo 5. distinctioe 14. quaestione 2. articulo 2. retractans, quod prius docuerat, fortasse melius. Fundamentum est, quia hoc sacrificium est infinitum ex parte rei oblate, & non est minus infinitum ex parte offerentis, quia, licet Sacerdos videatur persona finita, tamen non offert in sua, sed in Christi persona, & est veluti aequaliter Christus, qui est principalis offerens: ergo est tam infiniti valoris, sicut sacrificium Crucis, & nihilominus habet, quam illud, ut Chrysostronus intulit, hom. 2. super ad Timoth. Denique est hoc sacrificium infinitum in representando, & continendo virtutem passionis Christi, quia virtus instrumenti tanta est, quanta principalis agentis: imo est eadem, cum in-  
 strumēt.

strumentum non operetur, nisi in virtute principalis agentis: Hoc autem sacrificium est, veluti organum continens in se totam virtutem sacrificij Crucis, vt sumitur ex Concilio Tridentino, sessione 22. capite 1.

2. Opinio

D Thom.  
Bonauent.  
Richard.  
Paludan.  
Maïor.  
Scotus.  
Gabriel.  
Soto  
Covarr.

Secunda opinio negat, sacrificium hoc habere valorem, vel effectum infinitum intensiue. Tenet expresse Diuus Thomas, in 4. distin. 45. quaest. 2. art. 4. quaestione 3. ad 2. Bonauentur. ibi, articulo 2. quaest. 3. ad vltimum, Richard. art. 2. quaest. 3. Paludan. quaest. 2. Durand. quaest. 3. Maïor, quaest. 2. Scotus quodlib. 20. Gabriel lectio. 26. & 27. in Cano. Soto lib. 9. de Iustit. quaest. 2. Covarruu. qui alios refert in cap. Alma mater, i. part. 5. num. 5. & sequentibus. Fundamentum horum auctorum fuisse videtur, quia licet res oblata in hoc sacrificio sit infinita, tamē oblatio ipsa, in qua essentia sacrificij consistit, finita est, & ab offerente finito, qualis est Sacerdos, quod videtur etiam insinuasse D. Thom. supra quaestione 79. art. 5. dicens; In satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis: per quantitatem autem oblationis intelligit quantitatē rei oblate, & patet exemplo, q̄ statim subiungit, dicens: Vnde & Dominus dicit Luca 22. de vidua, quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit. In eodem igitur sensu addit Diuus Thomas: Quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate, (id est, ex parte rei oblate) sufficiat ad satisfaciendum pro omni peña, tamen sit satisfactoria illis, pro quibus offeritur, vel etiam offerentibus secundū quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota peña: ac si diceret, quia actio offerendi finita est, limitatum habere effectum.

Distinctio  
valoris ab  
effectu.

Vt & rem explicemus, & simul constet, quid sentiendum sit de relatis opinionibus: primum omniam distinguere oportet in hac oblatione, valorem operis ab effectu. Valor enim significare videtur dignitatem moralem, quam oblatio habet, vt ea sufficere possit ad meritum, satisfactionem, vel impetrationem, si iuxta diuinam ordinationem ad aliquid horum referatur: effectus autem est id, quod de facto datur, vel dari potest, iuxta Christi institutionem, ob talem oblationem: loquimur enim de effectu ex opere operato. Vnde etiam si consideramus sacrificium, vt est à Christo offerente, & à Sacerdote, vt gerente personam eius: hæc enim duo moraliter pro eodem reputantur: si autem consideretur hoc sacrificium, vt est ab Ecclesia, sic etiam potest in eo considerari valor, saltem ad impetrandum, & effectus inde proueniens: vt vero est à priuatis personis, sic etiam potest in eo considerari valor ex opere operantis, & effectus illi correspondens.

Huius sacrificij  
valor, vt  
à summo sa-  
cerdote Chri-  
sto offertur  
infinitus est,  
tamen nullū  
meritum vel  
satisfactio-  
nem in se  
ipsa.

Dico ergo primo; Hoc sacrificium secundum se, & prout à suo principali offerente offertur, est infinitum in ratione sacrificij, atque adeo infinitum habet valorem, ratione cuius, si cetera necessaria concurrerent, posset esse infinite meritorium & satisfactorium: de facto tamen nulla est in eo satisfactio, nullumue meritum, vt est opus Christi, sed sola impetratio. Hanc conclusionem, maxime quoad priorem partem probat fundamentum primæ sententiæ, quia hoc sacrificium, non solum ex parte rei oblate, sed etiam ex parte offerentis infinitum est, quod non satis videntur considerasse aliqui ex auctoribus citatis secunda opinione: nam, licet hoc sacrificium immediate offeratur per os & manus Sacerdotis: tamen reuera Christus est, qui per illum offert, vel actualiter, vt supra declarauimus (quod non parum declarat & exaggerat dignitatem huius sacrificij) vel certe mystice seu representatiue, quod in rigore etiam satis esset ad infinitatem in genere sacrificij, saltem in ordine ad impetrationem. Quod ita declaro, quia quando Sacerdos offert hoc sacrificium, Pater æternus intuens donum illud, non sicut in Sacerdote, sed in illo respicit personam filij sui, quem representat, & ideo acceptat illam purissimam ob-

lationem, vt summe gratam & acceptabilem sibi: Ergo sub hac ratione sacrificium hoc habet infinitatem quandam in genere sacrificij, non tantum ex parte rei oblate, sed etiam ex parte offerentis, non minus, quam habuit sacrificium, quod Christus per se obtulit in cæna: nam est prorsus idem & eundem dignitatis. Nam, quod nunc interueniat ministerium Sacerdotis, est quidpiam valde materiale, quod non diminuit moralem estimationem, seu valorem oblationis: Et confirmatur: nam hac ratione verba consecrationis prolata à Sacerdote, non sunt minus efficacia ad mysterium perficiendum, quam fuerit à Christo prolata, quia licet Sacerdos non sit realiter Christus, tamen mystice est Christus, in cuius persona loquitur, & vere probat eadem verba, quæ Christus protulit: ergo & oblatio, quatenus ab illo est, sub hac ratione est æque digna, & eiusdem valoris. Atque hinc sequitur (quod in altera parte conclusionis dicebatur) oblationem hanc, si cetera necessaria concurrant, ex parte sua sufficere ad infinitum meritum & satisfactionem: addita enim illa conditionali est res euidenter consequens ex priori parte, quia ex parte oblationis, nihil amplius desiderari potest, quam infinita dignitas & valor. Tamen ex defectu illius conditionis fit (quod tertio loco dicebamus) de facto nullam esse nouam satisfactionem, vel meritum in hoc sacrificio, vt est à Christo. Nam si consideremus Christum: vt nunc per propriam actum suę voluntatis & intellectus offerentem simul cum Sacerdote, & per ipsum, sic actio Christi solum ratione status personę est in eapax noui meriti, vel satisfactiois, quia iam Christus est extra statum merendi, vel satisfaciendi pro nobis, quod est certissimum, neque ab illo Catholico negari potest: iam enim Christus nostram redemptionem consummavit. Si vero consideretur illa oblatio præcise, vt est à Christo representato in Sacerdote, vel à Sacerdote, vt representante personam Christi, sic etiam non est meritoria vel satisfactoria oblatio: non quidem ratione status personę Christi, si proprie & in rigore loquamur: Dici enim posset, Christum representari hic à Sacerdote, vt fuit in statu passibili, quando hoc sacrificium instituit, vel certe representari simpliciter, vt est Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, abstrahendo ab statu. Ratio ergo propria est, quia ille modus offerendi representatiue tantum, licet ad impetrationem possit sufficere, non tamen ad nouam satisfactionem vel meritum, propter rationem, quam supra de Ecclesia tetigit, sectione 8. Hæc enim oblatio per solam representationem, solum per denominationem extrinsecam attribuitur ei, in cuius persona sit, & respectu illius, vt sic non est actio humana per propriam voluntatem, & libertatem eius distinctam ab ea, qua in principio, & instituit nomine suo hoc offerri, & ideo potius est ibi representatio & commemoratio prioris meriti vel satisfactiois, quam nouum meritum vel satisfactio: nam hæc non conueniunt, nisi actioni vel passioni humane, quatenus humana & libera est. Nec refert, quod vt est à Sacerdote, sit humana & libera, quia libertas est priuata, & personalis ipsius Sacerdotis: Vnde conducere potest ad eius meritum vel satisfactionem ex opere operantis, non vero ad satisfactionem nouam infinitam, quæ oriri debet ex Christi persona & voluntate. Neq̄ est omnino contemnenda prior ratio, quæ in hunc modum explicari potest, quia Sacerdos præcise representat Christum, vt summum pontificem & Sacerdotem, non vero vt merentem, vel satisfaciendum: hæc enim posteriora sunt, & quasi extrinseca ad munus Sacerdotale, & ideo oblatio Sacerdotis in persona Christi solum id habet, quod præcise est de ratione sacrificij, quia sacrificium & Sacerdotium sibi inuicem respondent: & ideo etiam habet infinitatem in ratione sacrificij, non tamen in ratione meriti, vel

Eff  
pre  
huius  
ej  
inter

Euchar  
cum sac  
cium, a  
persona  
hija op  
no, con

Satisfactionis. Atque hinc tandem probata fere manet vicina pars assertio: nimirum hoc sacrificium esse infinitum in impetrando, ita ut de nouo sit in illo infinita vis impetrandi, quoad sufficientiam, quod quidem ex parte rei oblatæ per se notum est: ex parte autem personæ offerentis, declaratur, utroque modo supra posito. Etenim si Christus consideretur, ut actu offerens, habet actum de se infiniti valoris: & alioqui Christus nunc est in statu impetrandi: Ergo de facto est illa actio indefinite impetratiua, quamquam in re nunquam impetret, effectum intenuit infinitum, quia nunquam ordinatur, nec prudenter ordinari potest, ad talem effectum, & ideo dixi, hanc impetrationem esse infinitam quoad sufficientiam, non quoad efficaciam, sicut alias dicitur de merito & satisfactione Christi: Nam, tam impetratiua est oratio, vel oblatio Christi gloriosi, quam fuit meritoria, vel satisfactoria actio Christi viatoris. Si autem consideretur hæc oblatio præcise, ut est à Sacerdote representante Christum, sic etiam est infinite impetratiua, tum quia nititur præcedentibus Christi meritis, ratione quorum habet vim ad impetrandum, quicquid ex iustitia debetur, tum etiam, quia ad impetrandum sufficit illa habitudo extrinseca, ut supra declaratum est in impetratione Ecclesiæ orantis per ministrum iniquum, & in hac oblatione Sacerdotis in persona Christi, quia Deus non respicit donum, ut à Sacerdote, sed ut à Christo oblatum.

Dico secundo, nihilominus effectus ex opere operato, quem hoc sacrificium potest conferre, est finitus intenuit. Hic est proprius sensus secundæ opinionis, & reuera est directa ac propria responsio questionis, quia proprius effectus sacrificij vocatur ille, qui est ex opere operato. Ratio vero non est illa, quæ afferretur secundæ sententiæ, illa enim ex dictis in præcedenti assertionem refutata est. Ratio igitur vera est, quia effectus ex opere operato non pertinet ad sufficientiam, sed ad efficaciam, quoad efficaciam autem non potest sacrificium esse infinitum, cum nec sacrificium Crucis hoc habuerit, quia efficaciam respicit effectum in re ipsa dandum: non datur autem, nec dari potest effectus infinite intensus. Præterea est ratio à priori, quia hic effectus non est mensurandus ex infinitate sacrificij, sed ex institutione & promissione Christi: quamuis enim hoc sacrificium incrementum, sit infinitum: tamen in illi quod est (inter alia) ut sit quoddam instrumentum eiusdem Christi ad applicandum nobis satisfactionem sui sacrificij eruenti, ut sumitur ex Concilio Tridentino sæpe allegato. Non enim repugnat, Christum in propria specie existentem uti oblationis sui, vel seipso, ut sacramentaliter existente, ad applicandum nobis diuinitas passionis sue: non potuit autem assumi hoc sacrificium & instrumentum, nisi ad determinatum & finitum effectum, qui per voluntatem Christi taxari debuit: hæc enim in aliud principium reuocari non potest: sic enim taxatus etiam est effectus Eucharistiæ, ut est sacramentum, quamuis sub ea ratione, etiam quid infinitum sit. Nec refert, quod talis effectus non sit omnino determinatus ad eundem gradum, vel terminum respectu omnium, nam fortasse est maior in melius disposito, saltem in priuatis offerentibus, ut sic: satis enim est, quod in vnoquoque habeat præfixum terminum indiuisibilem, iuxta talem dispositionem, simpliciter tamen habeat aliquem terminum maximum, iuxta maximam ac perfectissimam dispositionem, sicut etiam contingit in sacramentorum effectibus.

Dico tertio: Hoc sacrificium, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, habet effectum & valorem finitum ad impetrandum. In hac conclusione omnes conueniunt, quia hic valor fundatur in sanctitate Ecclesiæ, ad quam respiciens Deus, tanquam ad spon-

sam sibi gratiam, cuius in nomine hoc sacrificium sibi offertur, gratum illud habet & acceptum, ut propter illud postulata concedat. Sanctitas autem Ecclesiæ finita est: ergo & hic valor est finitus, quod hoc enim locum habet, quod Diuus Thomas dixit, oblationem magis attendi ex conditione offerentis, quam ex oblatæ. Atque hinc inferitur primo, hunc valorem posse crescere, & minui, quo in Ecclesiâ fuerint sanctiores: Est enim eadem proportionalis ratio, ut recte vidit Gabriel, lect. 26. in Canon. cui sine causa contradixit Soto, dist. 13. quest. 1. art. 6. in fine. Nullam enim rationem affert: sed laborat in æquiuoco, non distinguens, inter hunc valorem, & illum, quem habet oblatio, ut est à Christo. Vnde infero secundo, hunc valorem melius dici ex opere operantis, ut loquuntur Corduba, Conarr. & alij, quam ex opere operato, ut loquuntur Scotus & Gabriel. Quamuis enim hæc differentia tantum sit de modo loquenti, tamen est utilis hic modus ad tollendam æquiuocationem, & habet fundamentum, quia hic valor fundatur in sanctitate Ecclesiæ, & non in speciali Christi promissione, ut ex superioribus satis constat.

Dico quarto: Valor & fructus huius sacrificij, ut est ex opere operantis, respectu Sacerdotis vel cuiuscunque alterius offerentis priuati, est finitus intenuit: tum in ratione meriti, quia non meretur, nisi vnum aut alterum gradum gratiæ aut gloriæ, tum in ratione satisfactionis, quia non dedit, nisi certam pœnam & finitam, tum etiam in ratione impetrationis, quia persona sic offerens finita est: cuius actio est simpliciter finita, etiam in genere moris, & hoc probat bene ratio secundæ sententiæ, & doctrina D. Thomæ ibi adducta, quæ sumpta est ex Gregorio, homil. 5. in Euangelia dicente: Non perpendit Deus in suo sacrificio, quantum, sed ex quanto offeratur. & lib. 7. Registri epistola 126. dicente: Hinc patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt, quia in omnipotentis Dei iudicio, non, quid datur, sed à quo datur, inspicitur. Non est autem sensus horum verborum rem oblatam nihil conferre, sed illam non sufficere sine offerente, & dignitate ac effectu eius. Dices, hinc sequi infinitatem rei oblatæ sufficere, ut oblatio sit valoris seu meriti infiniti: Nam, si aliquid confert, ergo quo fuerit melior, plus conferet: Ergo infinita conferet infinitate: hæc enim ratione sola persona offerens, si infinita sit, sufficit ad infinitatem oblationis, etiam si res oblatæ non sit infinita. Respondetur hoc argumentum esse vulgare & generale de omnibus actibus, qui habent obiectum infinitum, nam in presenti res oblatæ solum se habet, ut obiectum seu materia circa quam, respectu oblationis. Probat ergo argumentum infinitatem quædam secundum quid, quia nimirum ex parte rei oblatæ, nulla oblatio potest esse altior aut eminentior: est enim ex illo capite summa, quæ esse potest, atque adeo altioris rationis, quæ sit omnis oblatio rei finitæ: non est autem infinita simpliciter, quia hæc infinitas maxime pendet ex dignitate personæ operantis. Vnde actio, quæ nos offerimus Christum, ex parte nostra finita est, & non adæquat dignitatem obiecti sui, ideoque solum habet meritum & satisfactionem finitam ex opere operantis. Fundamenta aliarum opinionum non indigent noua responsione: nam ex dictis satis expedita sunt.

SECTIO XII.

Vtrum effectus huius sacrificij sit infinitus extensus: ideoque oblatum pro multis tantum valeat singulis, ac si pro solo vno offerretur.

Questio hæc confundi solet cum præcedente, est tamen valde diuersa: nam, licet causa aliqua non

valore ad impetrationem in effectu finitum est.

Sacrificij huius valor, ut à priuato offerente dimanare videtur, est finitus.

D Thom. Gregor.

Oblatio.

Solutio.

non possit formam producere ultra certum gratum intensiois, potest tamen interdum totam illam formam & aequae intensam in multis Subiectis producere: vt si ignis singulis efficiat calorem, vt octo in tribus, vel quatuor Subiectis sibi applicatis, aut si possit idem efficere simul in quacunque multitudine Subiectorum sicut potest succellus, &c. Sic igitur sacrificium, quamuis solum possit tres vel quatuor gradus satisfactionis applicare vni & eidem personae, adhuc restat, dubitandum, an eisdem seu aequales possit conferre duobus vel tribus, & sic in infinitum, & hanc potestatem vocamus infinitatem extensiuam; an vero potius ita sit finitus hic fructus, sicut limitata efficacia sacrificij, vt si pro pluribus offeratur, prout offerri potest, diuidendus necessario sit ille fructus inter ipsos, ideoque quo fuerit pro pluribus oblatum, eo minor fructus ad singulos perueniat.

*Quaestio sensus.*

*1 Opinio.*

*Caietan. Syluest. Cano. Corduba. Pet. 200.*

Prima opinio est, hunc effectum integre multiplicari in omnibus & singulis personis, pro quibus hoc sacrificium offertur, in quocunque numero sint absque vilo termino, nec minui fructum vnus ex consortio aliorum: atque hoc sensu esse hoc sacrificium infinitae efficacitatis extensiuum. Hanc opinionem tenent Caietan. Syluest. Cano. & citati sectione praecedente, & Cordub. lib. 1. quaestio. 3. Petrus Soto lectio. 7. de Euchar. Hi vero authores fundant hanc sententiam solum in infinitate rei oblatae, seu ipsius sacrificij. Sed si intelligant hanc infinitatem in agendo consequi necessario ad infinitatem in essendo, non est verum, nec solidum fundamentum, vt facile constat ex dictis sect. praeced. quia effectus ex opere operato huius sacrificij (de hoc enim praecipue loquimur) totus pendet ex promissione & institutione Christi, & ideo ex illa petenda est etiam quantitas talis effectus. Si autem ex illa infinitate solum sumant congruentiam, sub qua fuit expediens, Christum ita instituere & promittere efficaciam huius sacrificij, est probabilis coniectura. Praesertim, si addamus, hanc esse naturam sacrificij, vt pro pluribus offeratur: ergo consentaneum est, vt sacrificium infinitum & summe perfectum, ita possit pro pluribus offerri, vt eam ob causam nihil detrimenti singuli patiantur. Et confirmatur, nam absurdum est dicere, quo plures conueniunt ad idem sacrum audiendum, eo magis minui singulorum fructum. Aut, cum Parochus sacrificium offert pro plebe sua, ex hoc solum, quod contingat plures esse iustos & indigentes tali fructu, minorem singulis provenire: Ergo verisimilius est, institutionem ita factam esse, vt vnique promissus sit integer fructus iuxta suam dispositionem, siue plures, siue pauciores concurrant.

*2 Opinio.*

*D Thom. Scotus. Gabriel. Soto.*

*Varia circa opinionem hanc explicandam diuisiones.*

Secunda opinio est, hunc fructum esse finitum etiam extensiuum, ideoque applicatum multis, non multiplicari, sed diuidi, atque ideo esse minorem in singulis. Ita sentiunt Diuus Thomas, Scotus, Gabriel, Soto, & fere alij authores citati sectione praecedente opinione secunda. Addit vero Soto in 4. distinct. 13. quaestio. 2. articulo 1. quendam fructum sacrificij provenire fidelibus ex generali applicatione, seu oblatione sacrificij: Alium vero ex speciali intentione & voluntate Sacerdotis. De priori, ait, veram esse priorem sententiam, quod talis fructus non minuitur in singulis, etiam in infinitum multiplicetur: de posteriori vero, esse omnino finitum, & pluribus applicatum, non multiplicari, sed diuidi. Contrario tamen modo distinguit Syluester, verbo, Misericordia, prima, quaestio nona. Nam si sacrificium (inquit) speciali intentione offeratur pro multis, ita vt Sacerdotis intentio ad vnumquemque determinate feratur: tunc omnes accipiunt integrum effectum, & singulis ita prodest, ac si pro vno tantum offerretur. At vero, si intentio (inquit) solum feratur ad aliquid commune, vt verbi gratia, pro Col-

legio, pro plebe, tunc ait, tali oblationi vnum tantum adaequatum fructum respondere, illumque inter membra illius communitatis diuiti: & consequenter, quo plura fuerint, eo ad singula minorem partem fructus provenire. Alter distinguit Scotus dicto quodlibeto 20. in primarium & secundarium fructum: primarium dicit esse, qui speciali intentione Sacerdotis applicatur, & hunc dicit esse limitatum, pluribusque applicatum non multiplicari, sed diuidi: Secundarium autem vocat illum, qui provenit absque speciali applicatione Sacerdotis, & quo ad hunc non esse limitatum sacrificium, sed tantum prodesse multis & singulis, ac si vnus tantum esset. Quae distinctio videtur eadem cum illa, quam Soto tradit: vnde apparet illam ex Scoto sumptam fuisse. Aliaque similes distinctiones ab authoribus in hac materia traduntur, quae necessitas fundatae videntur, nec ad rem explicandam multum deseruiunt: vt ergo ex principijs positus materiam hanc facilius & clarius expediamus, praeculis habenda est, vt distinctio offerentium vti & eorum, pro quibus fit oblatio. Rursus recolenda est distinctio fructus ex opere operato, vel per se iam imperationem.

Dico ergo primo; Quando plures offerentes concurrunt cum sacerdote ad idem numero sacrificium omnes & singuli, quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, non minorem, quam si vnus tantum esset offerens, vnde in hoc sensu fructus huius sacrificij potest quodammodo dici infinitus, vel potius augmentabilis in infinitum extensiuum. In hac conclusione habet verum primam sententiam, quam nullo authore existimo negari. Potest quidem inter eos esse controuersia, an isti offerentes, vt sic, recipiant aliquem fructum ex opere operato, vel solum ex opere operantis, vel per modum imperationis. Quod autem hic fructus, qualiscunque ille sit, sine praedicto modo, nec minuatur in singulis ex aliorum consortio, a nemine, vt arbitror, negari potest. Et hoc in primis recte probatur a posteriori illo inconueniente supra illato, quod alias audientes Missam minorem fructum recipere, solum ob multitudinem audientium, quod sine dubio est valde absurdum. Secundo probatur a priori: nam supposita institutione, vt a nobis supra declarata est, & hoc videtur necessario consequens, quia quando plures offerunt idem sacrificium non potest in singulis minui fructus ratione oblatae, neque etiam ratione oblationis, aut personae proximae, vel remote offerentis: ergo nullo modo. Prima pars antecessantis ita declaratur: nam in lege naturae aut veteri, quando offerebatur agnus in sacrificium, si plures conuenirent ad vnum, & eundem agnum offerendum, videtur futurum fuisse consequens, vt ex parte rei oblatae vnus cuiusque oblatio esset minus fructuosa, & laudabilis, quam, si vnusquisque per se totum agnum offerret, quia agnus ille erat res finiti valoris, & ideo quo plures conueniebant ad illum offerendum, eo vnusquisque minus offerbat. At vero in praesenti non ita est: Nam agnus immaculatus quem offerimus, est infinitus, & ideo, licet ad illum offerendum multi conueniant, tantum merito & satisfactione ex opere operantis, nullum esse potest dubium, quin eadem sint, si caetera sint paria, id est, si eadem deuotione & affectu vnusquisque offerat sive solus, sive simul cum alijs. Idem ergo erit de effectu ex opere operato, quantum est ex parte rei oblatae. Quia potius, si vterius res consideretur in omnibus Misericordia & sacrificijs nostris, quae vel successiuae, vel simul offeruntur, eadem res numero offerunt, & nihilominus integer est vnus cuiusque sacrificij fructus, & ab alijs independens. Secunda pars de oblatione explicatur in hunc modum, quia oblatio sacrificij ex concursu plurium offerentium, non fit in fine

in singulis minus grata, & acceptabilis Deo: Ergo ex hac etiam parte non minuitur fructus. Patet antecedens, quia, sicut multiplicatur persona offerentis, ita multiplicatur oblatio, quasi partialis, & ex omnibus constat quasi una integra oblatio, quae tota moraliter loquendo maioris est valoris & estimationis, quo ex pluribus oblationibus partialibus constat, ceteris paribus, & illa partialis, seu personales oblationes non minuuntur in se, propterea quod cum aliis coniungantur ad unam totalem moraliter componendam: ergo idem est proportionaliter de fructu, nam sicut oblatio illa extensius crescit: & ita fructus eius, & sicut in vnoquoque oblatio eadem est, quando cum aliis coniungitur, quae esset per se sola, ita etiam fructus, nam haec oblatio est veluti proxima dispositio, & applicatio talis fructus. Tertia pars de offerente est per se nota ex dictis, quia si remotus offerens vocetur Christus, ille est infinitus, & ex parte eius non minuitur effectus: Si vero ita vocetur Sacerdos, & offerens in persona Christi, iam dictum est, eandem esse rationem de illo, quae est de Christo, quem representat & cuius minister est: praesertim, quatenus exercet munus offerendi, ut minister publicus, per quem caeteri omnes privati offeruntur: Et similiter si proxime offerentes vocentur ipsaemet privatae personae, neque ex parte illorum potest fructus minui, quia, qua proportione augetur numerus personarum, augetur & dispositio offerentium ut sic, & dignitas oblationis, & consequenter fructus, qui offerentibus, ut sic respondet. Tandem confirmatur hoc & explicatur a simili: Nam si fieri posset, ut plures homines eandem hostiam consecratam sumerent, singuli reciperent tantum effectum sacramentalem, quantum, si unusquisque eorum solus eam sumpsisset, quia, licet sit eadem numero cibis, tamen ille est infinitus, & totus in singulis: Sumptiones autem totae sunt, quot personae, & dispositio unusquisque eadem est, & ideo multiplicatur effectus sine vlla diminutione, quia nulla fingi potest ratio illius: eadem autem est proportio in praesenti, si res attente consideretur.

Quaestio.

Hic vero potest aliquis inquirere, si contingat, plures Sacerdotes consecrare eandem hostiam & calicem, ut sit in ordinatione Sacerdotis, vel in consecratione Episcopi, an tunc multiplicentur effectus sacrificij ex opere operato, non solum qui respondent Sacerdotibus, ut privatis personis offerentibus, sed etiam, qui illis respondent, ut Sacerdotes sunt. Et ratio dubij esse potest, quia illi offerunt idem numero sacrificium. Nam, licet verba, quae ad consecrandum proferunt, sint diversa, tamen actio consecrandi, & consequenter offerendi, eadem est: ergo etiam effectus est vnus tantum. In contrarium autem est, quia vnusquisque illorum Sacerdotum sacrificat totum Christum, ut totalis minister eius, & tam independenter ab alio, ac si solus sacrificaret: ergo singulis respondet integer effectus, quia non est vlla ratio, cur in altero illorum minuarur. Nam quod res oblata sit eadem numero, non obstat, cum sit infinita, cumque idem contingat in omnibus sacrificijs. Quod etiam materia remota, & sacramentales species panis & vini sint eadem numero, nihil refert, quandoquidem valor & substantia huius oblationis non est in illis posita, nec ex illis solis variari potest. Denique quod actio transfundendi dicitur esse eadem, si intelligatur de actione ipsa miraculosa & substantiali, est quidem probabile, sed incertum. Nam licet res facta sit eadem fortasse, per tot actiones fit, quot sunt instrumenta totalia, quibus fit. Tamen, id admissum non obstat, quominus effectus multiplicentur, quia illa actio aequivalet multis, secundum habitudines ad plures offerentes in persona Christi, ita et-

Franc. Suarez Tom. 3.

iam est ab vnoquoque, ac si ab illo solo fieret, & per singulorum verba significatur, ac sit propria vnusquisque intentione, quod satis est, ut in ratione oblationis sacramentalis & sensibilis, multiplicetur iuxta numerum offerentium: ergo idem factus est, ut multiplicetur effectus. Et confirmatur primo exemplo supra posito de fumentibus eandem hostiam consecratam: nam, quae est proportio plurium fumentium ad effectus sacramentales, & plurium consecrantium ad effectus sacrificiales. Confirmatur secundo, nam si vtrique responderet vnus tantum effectus, inquiri, an applicatio totius effectus pertineat ad aliquem illorum Sacerdotum: vel quaedam aliquota pars ad vnum, & quaedam ad aliam, seruata proportione inter numerum partium, & numerum Sacerdotum? Primum horum dici non potest, quia non est maior ratio de vno, quam de alio, cum vterque sit aequalis potestatis & vterque consecret, tanquam immediatus minister Christi. Secundum autem etiam apparet contra rationem, quia, ut diximus, tractando de ministris Baptismi & Eucharistiae, illi non sunt ministri partiales, sed vnusquisque agit, ut integer minister, per se sufficiens, & independentes ab alio: ergo vterque operatur integra & absoluta potestate, ergo eandem habet in applicatione totius effectus: Ergo vnusquisque responderet proprius integer effectus, quem applicare potest. Neque impediri potest ex consortio alterius, cum sit omnino per accidens, & vnus non minuat oblationem alterius. Hec ergo pars videtur probabilior.

Primo confirmatur exemplum.

Confirmatur secundo.

Sed tunc occurrit vterius inquirendum, quid dicendum sit, si contingat, oblationem sacrificij compleri ex partiali operatione duorum Sacerdotum, ut verbi gratia, si vnus consecret hostiam & deficiat, aliusque ad complendum sacrificium consecret calicem? Respondetur, in eo casu certum esse, tantum dari vnum effectum, quia tantum est vnum sacrificium, & vna oblatio, & vnus integer minister formaliter ac proprie loquendo, nam illa personarum diuersitas solum materialiter concurrat ad vnum ministrum constituendum. Sed tunc

Quaestio videtur.

Dubium.

est dubium, ad quam illarum personarum pertineat applicatio illius fructus: Et quidem, si aliter illorum Sacerdotum consummauit totum id, quod est, est essentiale huic sacrificio, alter vero solum supplet ea, quae accidentalia sunt, vel solum ad quandam extrinsecam perfectionem pertinent, non est dubium, quin fructus sacrificij, eiusque dispensatio ad eum pertineat, qui essentialiter sacrificium consummauit, ut in nostra sententia, si alter vtramque speciem consecrauit, & sumere non potuit: alius vero Missam perfecit: tunc enim sacrificij effectus ab eo, qui consecrationem perfecit, applicandus fuit, maxime, cum dictum in superioribus sit, statim post perfectam consecrationem dari. Maior vero difficultas est, quando neuter perfecit totam essentiam sacrificij, sed alter consecrauit hostiam, alter vero calicem. Quoniam autem res tunc est dubia, optime faceret posterior Sacerdos, referendo intentionem suam ad intentionem prioris Sacerdotis, neque aliam nouam applicationem faciendo: nisi sub hac conditione, si alter fortasse non applicuit: nam hoc modo tollitur omne dubium. In huiusmodi autem rebus via certa tenenda est, & incerta omittenda. Item, quia per se loquendo intentio offerendi pro hac vel illa persona antecedere debet inchoationem substantiali sacrificij, quae non est mutanda post consecrationem inchoatam. Ac denique, quia posterior Sacerdos solum assumitur ad suppleendum defectum alterius, & consummandum, quod ille inchoauit. Igitur non recte, neque ordinate faceret is posterior Sacerdos, si agere veller contra in-

Gravis difficultas.

Difficultatis inchoatio.

Nnnn ten-

tionem prioris Sacerdotis & applicationem mutare. Non audeo tamen dicere, illum peccatum mortaliter, tum quia res non est adeo certa, quin possit ille quodammodo iure suo uti, quia vere est minister, & consecrat ultimam speciem: unde veluti dat essentiam & formam sacrificio, ad eum modum, quo ultima vnitas dici solet forma numeri, tum etiam, quia materia non videtur adeo grauis, neque practice, & in re ipsa solet, alicui periculo exposita: Nam, si intentio prioris Sacerdotis ita fuit efficax, & veluti acceptata à Deo, vt per intentionem posterioris Sacerdotis retractari non possit, illa prior habebit effectum, & hæc posterior frustrabitur, quod non est inconueniens, per se loquendo, quia nec sacrificio, neque alteri in hoc fit iniuria, & illa intentio virtualem includit conditionem, scilicet, quantum mihi possibile est: si vero coram Deo prior intentio non est ita efficax, sed retractari potest, tunc posterior habebit effectum, & nulla fiet iniuria priori Sacerdoti: cum posterior virtute potestate ac iure suo. Vt utrumque autem horum verius sit, quæ ve intentio coram Deo tunc esset efficacior, incertum mihi est: Nam in vtramque partem possunt fieri probabiles coniecturæ ex his, quæ adduximus: nam posterior intentio cæteris paribus, hoc ipso, quod posterior est, solet esse præcipua, & efficacior ad retractandum priorem: Hic autem vterque Sacerdos est æqualis potestatis, & aliunde æqualiter concurrunt, singulas species consecrando: Ergo intentio posterioris Sacerdotis videtur ex hac parte efficacior ad retractandam priorem. Aliunde vero apparet prior intentio in hoc casu præcipua: quia etiam prior Sacerdos videtur præcipuus in hoc ministerio: nam alter solum assumitur, quasi ad iuandum illum, vel illius defectum suppleendum. Item, quia post essentialiter inchoatum sacrificium, fortasse iam non potest mutari, vel retractari talis intentio, etiam in eadem persona, quamquam & hoc ipsum nimis incertum sit: nam cum nondum sit datus effectus, non apparet, cur non possit aliquis retractare voluntatem suam, etiam post priorem speciem consecratam. Quod, si vna & eadem persona hoc potest facere, verisimile est, posse idem fieri à persona distincta, quæ cum eadem potestate, & eodem iure succedit ad sacrificium consummandum. Quapropter, omnibus pensatis, verisimilius apparet, posteriorem intentionem esse efficacior, & habituram effectum.

*Posteriorem intentionem esse efficacior, verisimile est.*

**2. Conclusio**

Dico secundo: Effectus sacrificij respondens oblationi sacerdotis, vt sic, quem ipse potest pro aliis offerre finitus est, & vnus tantum. Vnde, si pro multis offeratur, siue diuersis intentionibus specialibus: siue vna tantum communi, vt pro populo, vel communitate, minuatur fructus in singulis, tantò magis, quanto illi plures fuerint, supposita vniformi applicatione. Hanc tenent authores secundæ sententiæ, & vt existimo, non repugnant, Caietanus, Cano, Corduba, & alij supra citati, quia non tractant de hoc effectu sic applicato, sed de illo, qui responderet offerentibus, vt offerentes sunt. Vt autem hoc probemus, quoniam propria huius rei ratio pendet ex Christi institutione, illam explicare oportet. Dupluciter enim potest intelligi, primo, quod Sacerdoti offerenti data sit à Christo potestas applicandi tot gradus satisfactionis, vel vni personæ tantum, vel pluribus in quouis numero pro sua voluntate. Ita tamen, vt omnes illi gradus singulis donentur. Alter modus institutionis intelligi potest, quod vni oblationi Sacerdotali, vnus respondeat adæquat us effectus, verbi gratia, decem graduum satisfactionis, qui omnes possint, vel vni personæ applicari, vel inter multas distribui: Non vero, quod omnes possint singulis donare, vel (vt ita dicam) totaliter multiplicari. Afferimus ergo, institutionem esse factam hoc posteriori modo & non priori. Quod probatur pri-

mo ex vsu Ecclesiæ (in Scriptura enim, aut Patribus nihil habemus expressum) si enim institutio facta fuisset priori modo, nunquam deberent Sacerdotes vni tantum applicare sacrificij effectum, cur enim priuarent ceteros tanto fructu, si absque vnus detrimento possent multi alij æqualem fructum percipere? at vero iuxta vsum Ecclesiæ non ita fit, sed, quoad unum offeritur sacrificium, verbi gratia, pro anima Petri, vt illi omnino proficit, quantum ex intentione Sacerdotis potest, pro illa tantum, & non pro aliis applicari solet. Et confirmatur: nam alias sequitur, per se loquendo, & ex vi institutionis, posse Sacerdotem plura stipendia integra accipere, ratione vnus sacrificij, vel (quod idem est) postquam à pluribus stipendium accepit, omnibus satisfacere vnico sacrificio, totum illud singulis applicando, quæque illis prodest, ac si pro singulis tantum offerretur. Consequens autem videtur absurdum, & contra vsu Ecclesiæ, vt infra dicam. Dico autem (per se loquendo) Nam responderi potest, hoc non licet ratione dubij: Sed hoc per accidens est ratione ignorantie: Tamen, Considerando rem ipsam, seu æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ in re ipsa fit, nulla est iniustitia. Præterea, ex vsu, & sensu Ecclesiæ constat, plura sacrificia oblata pro eadem persona plus illi prodesse, quam vnus: Ergo etiam pro duabus personis plura sacrificia pro illis oblata, plus illi proderunt, quam vnus oblatum pro vtraque. Dices id esse verum, si plures Missæ ita offerantur pro pluribus, vt singulæ offerantur pro omnibus: Non vero, si singulæ offerantur, id est, vna Missa pro vna persona, & alia pro altera, & sic de reliquis: quia hoc modo oblata vna Missa pro duabus personis simul, vel due Missæ pro duabus personis diuisim, id est, vna pro vna, & alia pro altera, non magis proderunt eis plures, quam vna. Sed hoc valede voluntarium est, & gratis dictum: quia moraliter non plus est, eidem personæ bis remittere penam, vt quatuor, quam è duabus personis remittere vnicuique penam, etiam vt quatuor: nam ad vtrumque requiruntur octo gradus satisfactionis, & valede extrinsecum & accidentarium est, quod hi gradus vni & eidem personæ applicentur, vel inter plures distribuantur: ergo, sicut eidem personæ non potest fieri duplex applicatio effectus totalis eiusdem sacrificij, sed requiritur duplex sacrificium; ita etiam diuersis personis non potest idem effectus vnus sacrificij totaliter applicari. Præterea est optima ratio, quia in hoc effectu satisfactionis non est alia intentio effectus, quam multitudine satisfactionis, sed effectus sacrificij est limitatus intentione, simpliciter loquendo, sicut est limitatus effectus sacramenti: nam, quoad hoc, eadem est ratio, vt supra ostensum est: alias etiam respectu eiusdem personæ non esset limitatus hic effectus, quoad intentionem, seu multitudinem satisfactionis: quod est manifeste falsum: satisfactio ergo applicanda per hoc sacrificium simpliciter est limitata, quoad intentionem, seu magnitudinem suam: ergo est limitata respectu cuiuscunque personæ, vel multitudinis personarum. Patet consequentia, quia quantitas effectus, ad multum iusdem rationis est, siue vni, siue multis applicetur. Et in hoc est magna differentia in illa proportione, quæ à causis agentibus sumebatur, nam, quod eadem causa possit interdum effectum æque intentionem in multis subiectis producere, quæ non possit intentionem effectum in eodem subiecto efficere, hoc ideo est, quia multiplicatio effectus est quantitas valde diuersa à maiori intentione: & ideo potest vnus cause ad vnam sufficere, & non ad aliam: tamen in presentia ad vnam sufficere, & non ad aliam rationis est, siue ti multitudo satisfactionis eiusdem rationis est, siue ad eandem personam, siue ad diuersas comparatur: & ideo, si respectu vnus augeri non potest, nec respectu diuersarum poterit multiplicari. Eo vel maxime, quod hic effectus respondet oblationi sacrificij.

oblatio autem nullo modo in se variatur ex hoc, quod fructus eius vni vel multis applicetur: nam hoc est quid posterius, & extrinsecum oblationi: ergo non est, cur multiplicetur effectus propter solam voluntatem sacerdotis, volentis vni tantum vel multis effectum tribuere. In quo est etiam magna diuersitas inter sacramentum & sacrificium: nam sacramentum non applicatur multis, nisi per realem multiplicationem; & si contingeret, idem numero Eucharistia sacramentum dari multis, saltem sumptiones ipsa multiplicarentur, quia in receptione consistunt; & ideo mirum non est, quod multiplicentur effectus; at vero oblatio sacrificij, vel multis applicata, quoad fructum, eadem omnino est, solumque extrinseca voluntas applicantis est diuersa: ergo non potest illa sola efficere, vt effectus augeatur. Et reuera est per se incredibile, gratis & sine vlla causa potuisse Christum in sola libertate sacerdotis, vt, vel multis, vel paucis, vel vni tantum, omnino aequaliter sua oblatione prodesse posset: nec minus incredibile est, dedisse Christum sacerdotibus hanc facultatem, & tanto tempore fuisse, tam ipsis, quam Ecclesie incognitam. Vel e conuerso: incredibile est, illis esse notam, & tamen voluntarie non vt illa: sine causa enim limitarent sacerdotes hunc effectum ad vnam, vel paucas personas: si possent omnibus & singulis totum applicare: imo, si Christus voluisset, vt posset hoc modo omnibus applicari, melior institutionis modus fuisset, hanc virtutem dare ipsi sacrificio secundum se, independentem ad voluntatem sacerdotis, quam hoc gratis sine causa ponere in eius arbitrio. Dices, idem argumentum posse nunci fieri, posita institutione, prout a nobis explicatur. Respondetur, non esse simile, quia nunc effectus est in se certus ac limitatus. Vnde non potuit ex vi sacrificij esse applicatus omnibus, quin necessario esset inter illos diuidendus; quod tamen expediens non erat: & ideo oportuit, vt modus applicationis iudicio & arbitrio ministri relinqueretur: si autem institutio ita facta esset, vt ex vi eius sacrificium esset potens prodesse omnibus, dando illis totum aliquem effectum, quamuis sacrificium ex se semper hoc faceret, nulla sequeretur diuisio effectus, vel diminutio eius in singulis: nulla ergo esset causa, ob quam libera daretur sacerdotibus facultas priuandi, quos vellet, hoc effectum, vel omnino, vel ex parte.

Magna quaedam diuersitas inter sacramentum & sacrificium.

Obiectio.

Solutio.

Conclusio.

Collarium quoddam.

Hieronym.

Non mediocriter, de Consecrat. dist. vbi sic scribit: Dum pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Sed illa verba non multum probant, vt ibi Glossa animaduertit: possunt enim referri ad offerentem non ad eas animas pro quibus fit oblatio: itaque offerenti aequè proderit, pro vno, vel pro multis offerre, si alioqui cetera sint paria. Vel certe sensus Hieronymi est, non esse minus utile, sed fortasse vtilius, Psalmum vnum attente ac deuote dicere pro multis, quam pro singulis, Psalmos singulos remisse ac indeuote recitare, vt illa verba eiusdem Hieronymi explicant; Melior est quinque Psalmorum decantatio, cum cordis puritate & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis, & tristitia. Iam vero, vt postremam partem conclusionis explicemus, aduertendum est, licet sacrificium hoc, ex se sit valens ad impetrandum, tamen non applicari ad impetrandum, nisi, vt orationi coniungitur: quia non impetratur, nisi quod petitur, vel desideratur ab alio: & ideo impetratio per se pertinet ad orationem, quam sacrificium facit exaudiri, & hoc modo impetrat. Oratio autem, ceteris paribus, efficacior est ad impetrandum in particulari & speciatim facta, quam si generatim pro multis fiat. Ita enim docuit contra V Vicleph. Concilium Constantiense, sess. 8. vt latius tractat V Valdensis tom. 3. de sacramentalib. capitulo 105. Rationem autem attingit Stotus, quod lib. 20. quia, vt oratio impetret, requirit proportionem cum re postulata: nam eadem oratio, ceteris paribus, non aequè impetrabit rem difficilem vel facilem, maiorem vel minorem: & eadem ratione non aequè impetrabit eandem rem vni, & multis: quia hoc ipso res postulata est maior, & consequenter variatur proportio, si cetera sint paria ex parte orationis. Atque hinc vterius concluditur, efficacior fore oblationem, si pro aliquo specialiter fiat, quam si fiat, pro eodem, solum vt est pars alicuius multitudinis, pro qua tantum fit immediate oblatio: & hoc est proprium, orationem esse specialem, vel generalem: nam specialis est, quando fit pro aliquo in se ipso: generalis vero, quando fit pro aliquo tantum vt contento in aliquo communi: quod potest contingere, vel ex parte personarum, pro quibus oratur, vt cum oro pro Petro, vel pro Collegio, cuius pars est Petrus; vel ex parte rerum, quae postulantur, vt si peto humilitatem, in particulari, vel solum petendo virtutem, sub qua humilitas continetur. Vnde, vt recte fiat comparatio, fieri debet respectu eiusdem, hoc vel illo modo cadentis sub oratione: nam, si fiat respectu diuersorum, non erit formalis, neque recta comparatio: vt si oratio facta pro salute regni comparetur cum oratione facta pro salute Petri; fieri potest, vt illa sit efficacior ad impetrandum, quam haec: quia licet videatur generalis, quia habet communius obiectum, tamen respectu sui proximi obiecti, specialis est: & alioqui ratione communis boni potest esse gravior & melior: & ideo respectu eiusdem vt sic, esse potest efficacior, quamuis respectu Petri, per se loquendo, non sit ita efficax, sicut illa, quae pro eo speciatim fit, etiam si contingat, ipsum esse partem eiusdem regni, seu communitatis. Non est autem idem, si simul fiat oratio pro multis speciatim & in particulari pro singulis orando: nam tunc omnes illae orationes sunt plures & speciales, & ideo vnaquaeque habet totam vim impetrandi, quam haberet sola: nam sola concomitantia impedire non potest, quia non minuit earum valorem & dignitatem: sicut vnum meritum non impedit aliud, si opera concomitantiter multiplicentur & eisdem morales circumstantias habeant. Nec vero ex parte Dei potest esse impedimentum, quia ipse aequè potens est, & non impedit, aequè paratus ad petitionem nostram exaudien-

Duplex verborum Hieronymi sensus assignatur.

Postrema conclusio pars explicatur.

Conc. Constantiens. V Valdens. Stotus.

Egregium notabile.

Sola concomitantia in orationibus eam valorem non impedit.

Franc. Suarez Tom. 3.

Nnnn 2 dam,

dam, siue illa sola, siue cum alia cōiuncta sit. Nec promissio orationi facta, limitata est ad vnam orationē solam. Ex his ergo colligitur, quid sit de sacrificio dicendum: nam, si applicetur ad multa impetranda, quæ vna generali petitione continentur; sicut talis oratio minus efficacax est in singulis, ita etiam sacrificium minus tunc impetrabit pro illis, quia proportionatur orationi. Ad quod etiam confert, quod hic effectus impetrationis non est semper infallibilis, vt supra dictum est, quia nec fundatur in promissione, neq; habet semper coniunctam absolutam Christi voluntatem: & ideo, vt de facto impetret, multum iuuare potest modus petitionis, specialis vel generalis: si vero sit specialis oratio, quamuis hæc multiplicetur, & vnum sacrificium ad omnia illa impetrandū offeratur, æquè potens erit ad omnia & ad singula: quia ipsum de se semper est æquè sufficiens, & alioqui ex parte orationis est etiam æqualitas. Hoc autē non obstat, prodesse poterit multiplicatio sacrificiorum ad effectum impetrationis: quia, cum non sit infallibilis, fieri potest, vt, quod semel non conceditur, postea obtineatur, vel propter dispositionem petentium, vel eorum, pro quib; fit oratio, vel propter alias occultas rationes diuinæ sapientiæ. Deniq; propter has etiam causas multum expedit simul cum impetratione applicare effectum ex opere operato, ei pro quo fit oratio, vt sit purior, magisq; dispositus ad obtinendum petitionis effectum.

Consecrari  
quod dicitur  
in dignū

Ad funda-  
menta alia-  
rum opinio-  
num respon-  
sio.

Ad confirm-  
ationem re-  
spondetur.

Fundamenta aliarum opinionum fere non indigent noua responsione. Ad fundamentum enim primæ opinionis, iam responsum est, infinitatem sacrificij per se quidem conferre ad impetrationem, non vero ad effectum ex opere operato, nisi media promissione, quam esse oportuit, de effectu definito, vt satis explicatum est. Vnde ad naturam & perfectionem sacrificij satis est, quod oblatum à pluribus, omnes æqualem fructum percipiant, & oblatum pro pluribus, omnibus æquè impetrare potest. Quod vero etiam ex opere operato æqualiter eis profit, neque est consequens ad naturam sacrificij, neque pertinet ad conuenientem institutionem, vt satis explicui. Vnde ad confirmationem respondetur, primum inconueniens ibi illatum non sequi, quia plures audientes sacrum sub ea ratione offerentes sunt, & ideo vnus non impedit alium, quo minus suum integrum fructum accipiat. Secundum autem, quod ibi inferitur, non est inconueniens: nam hoc ipso, quod plures sunt in populo, pro quo generatim fit oblatio, eis minus specialiter applicatur, fructusq; finitus in plures partes diuiditur; & ideo mirum non est, quod singuli minus accipiant. In secunda opinione nihil adducitur, quod noua responsione, vel refutatione indigeat.

ARTICVLVS II.

Verum conuenienter sit determinatum tempus celebrationis.

4. dist. 13. qu. 1. art. 2. q. 4.  
Art. preced.  
In presens 2.  
Psal. 21. cir-  
caprin. 10. 8.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter sit determinatum tempus celebrationis huius mysterij. Hoc enim sacramentum est representatiuum Dominicæ passionis, vt dictum est. Sed commemoratio Dominicæ passionis fit in Ecclesia semel in anno. Dicit enim Augustinus super Psalm. 21. Quotiescunq; Passio celebratur, numquid toties Christus occiditur? sed tamen anniuersaria recordatio representat, quod olim factum est, & sic nos facit moueri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum. Ergo hoc sacramentum non debet celebrari, nisi semel in anno.  
2. Præterea, Passio Christi commemoratur in Ecclesia, sexta feria, ante Pascha, non autem in festo Natalis. Cum ergo hoc sacramentum sit commemoratiuum Dominicæ passionis, videtur inconueniens esse quod in die Natalis rei celebra-

tur hoc sacramentum, in Parasceue autem totaliter intermixtur.

3. Præterea, In celebratione huius sacramenti Ecclesia debet imitari institutionem Christi. Sed Christus consecrauit hoc sacramentum hora serotina. Ergo videtur, quod hora tali debeat hoc sacramentum celebrari.

4. Præterea, Sicut habetur de cons. dist. 1. Leo Papa scribit Dioscoro Alexandrino Episcopo, quod in prima parte diei Missas celebrare licet. Sed dies incipit a media nocte, vt supra dictum est. Ergo videtur, quod etiam post mediam noctem licet celebrare.

5. Præterea, In quadam Dominicali oratione secreta dicitur: Concede nobis Domine quasumus, hæc frequentare mysteria. Sed maior erit frequentia, si etiam pluribus horis in die Sacerdos celebret. Ergo videtur, quod non debeat prohiberi Sacerdos plures celebrare in die.

Sed in contrarium est consuetudo, quam seruat Ecclesia secundum Canonum statuta.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) in celebratione huius mysterij attenditur representatio Dominicæ passionis, & participatio fructus eius. Et secundum vtrumq; oportet determinare tempus aptum celebrationis huius sacramenti. Quia enim fructus Dominicæ passionis quoties indiget, ut propter quotidianos defectus quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offeratur; Vnde & Dominus nos petere docet. Luc. 11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quod exponit August. lib. de verbis Domini dicit: Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quem admodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quoties, vt quoties dicitur profertur. Quia vero Dominica passio celebrata est a tertia hora vsq; ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc sacramentorecolitur passio Christi, secundum quod eius effectus ad fideles determinatur. Sed tempore passionis recolitur passio Christi secundum hoc quod in ipso capite nostro fuit perfecta. Quod factum est semel, quotidie autem fructum Dominicæ passionis carnis fideles percipiunt. Et ideo illa commemoratio fit semel in anno, hoc autem quotidie & propter fructum, & propter ingenitam memoriam.

Ad secundum dicendum, quod veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quedam & exemplum Dominicæ passionis, sicut dictum est. Et ideo in die, quo ipsa passio Domini recolitur, prore realiter gestata est, non celebratur consecratio huius sacramenti, ne tamen in Ecclesia etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibitum, corpus Christi consecratum in die precedenti reuertatur sumendum in illo die, non autem sanguis propter quod, & quia sanguis specialis est imago Dominicæ passionis, vt supra dictum est. Nec verum est, quod quidam dicunt, quod per immisionem particule corporis Christi in vinum, conuertatur secretionem factam sub debita forma verborum in die autem natiuitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi Natiuitatem. Quarum vna est æterna, qua quantum ad nos est occulta. Et ideo vna Missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem non est temporalis, sed spiritalis, qua, si Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, vt dicitur 2. Petri. 1. & propter hoc cantatur Missa in aurora, in cuius introitu dicitur: Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi Natiuitas temporalis & corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex vero Virginali carne in ortu. Et ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce, in cuius introitu dicitur: Puer natus est nobis. Licet & conuerso possit dici, quod Natiuitas æterna secundum se sit in plena luce, & ob hoc in Evangelio tertia Missa fit mentio de natiuitate æterna. Secundum autem natiuitatem corporalem, ad literam natus est de nocte, in signum, quod veniebat ad tenebras in similitudine Noë.